



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annalium Paderbornensium Pars ...

Complectens Inprimis Fusiolem Episcoporum Paderbornensium, Deinde
Succinctiorem Historiam Reliquorum Per Westphaliam ...

Ab Anno Christi 1228 Usque Ad Annum 1500

Schaten, Nicolas

Monasterii Westphalorum, 1775

Liber XV. [1394 - 1416]

urn:nbn:de:hbz:466:1-7971



ANNALIUM
PADERBORNENSIIUM
LIBER XV.

JOANNES
HOJANUS COMES
XXXIII.

BERTRANDUS
ITALUS
XXXIV.

WILHELMUS
DUX MONTIUM
XXXV.
EPISCOP. PADERBORN.

JOAN-

JOANNES
HOJANUS COMES
XXXIII.
EPISCOPUS PADERBORN.

Annus Christi 1394.
Bonifacii IX. Pont. 5. Wenceslai Reg. 17.
Joannis Hojani Ep. Pad. 1.

Roberto
Ep. Pad.
defuncto
subrogatur
Joannes
Comes Ho-
janus.
*Gobelin. at.
6. c. 58.
Brusch. in
catal.
Episcop.
Kersenbr.
in Episc.
Paderb.
Reuiner.
in stem.
Hojens.*



Post amissum magno desiderio Robertum Episcopum, Canonicum ex conturbato dicecesis statu haud parum solliciti de Successore, una consensione elegere Joannem Hojanum Comitem, Ottonis Monasteriensis Episcopi germanum fratrem. Quamquam ex quo clero, aut ex quo cleri gradu, aut qua aetate meritoque virtutum ad hanc dignitatem proventus fit, neque Gobelinus noster, neque alii prodiderunt. Tam incuriosa haec scriptorum aetas; ipseque Gobelinus, dum electum & postulatum scribit, in ipsa, ex qua evolvere debebat, nos dubitatione relinquit. Multum hujus Episcopi electionem adjutam fuisse patrocinio Ottonis Monasteriensis Episcopi verisimile habeo, quod in ejus fraterno auxilio magnam spem sublevanda Paderbornensis Ecclesiae reposuerint. Et Joannem hoc ipso statim anno post excessum Roberti Episcopi possessionem gubernationemque Ecclesiae adiisse, argumento sunt publica ejus tabulae, quibus subrogando Corbeiensium Abbati custodiam castri Blanckenowensis secundum priorum Episcoporum conventa instaurat. Quae litera hoc anno pridie omnium SS. testibus Gerardo Spegelio milite & Bernardo Schwicarmigero, atque ipsius Joannis Episcopi sigillo etiam consignata monstrantur ex Corbeiensium tabulario. Quo simul constat Bodonem, praeclearum Corbeiensium ad Visurgim Abbatem, quem aliae simul Corbeiensium literae post Pascha vixisse tradunt, interea e vivis abiisse, eique Theodorici cum Il. nec multo post Arnoldum Wol-

fium, cujus mentio est in literis anno 1397 datis, successisse. Id quod hic etiam annotasse juvabit; quando a Wigboldo Abbate in Chronico Corbeienti, a Meibomio & Lesnero producta, non nisi obscura Corbeiensium Abbatum series continuata extat.

Ceterum opportune, magnisque animis, gubernatio Paderbornensis Ecclesiae a Joanne Episcopo suscepta. Enim vero Padbergii, postquam metu Roberti Episcopi soluti fuere, collegerunt praedonum turbas, tractoque in societatem belli Marciano Comite, cum ingentibus copiis se in Paderbornensem dicecesin infudere, flammis & rapinis libere lateque pervagando; & villis pagisque direptis, quantum libuit, Oppida, inter quae Borgentricum, magna pecunia fortunas suas redimere coacta. Postremum ad Lichtenawiam retuli: quod Oppidum cum injectis igneis telis incendissent, extremamque fortunarum jacturam intentassent, Oppidani ad arma & muros convolarunt, insultusque furentium hominum forti propugnatione fregere. Collegerat interea recens electus Hojanus Episcopus fidorum nobilium & Ministerialium copias, certus armis praedones aggredi: at dum auxiliares aliorum Principum copia tardius ob locorum distantiam accedunt, Fridericus cum praedatore milite profugus per montes in castrum suum sese recepit. Post ubi Hojanus Episcopus a Bonifacio confirmatus pleno jure dicecesis possessionem adiit, omnia consilia convertit in Padbergios opprimendos. Id vero ut sine magnis impendiis & ar-

*Gobelin. 6.
85. at. 6
Padbergio-
rum motu
& insolentia
ab Episcopo
&
aliis com-
primuntur*

*Errarius
in Mogunt.
Tribem.
Moritor
Conradus
Winbergius,
Archiep.
Mogunt.
Eligitur
Goletridas
Comes Loec-
niensis.*

*Succedit
Joannes
Comes Nef-
sarius.*

& armorum motu conficeret, qua erat solertia astuque militari usus, insidiis, quas posuerat, tres simul Padbergios fratres Fridericum, Joannem & Gotfchalcum intercipit, captosque in vincula conjicit. Gotfchalcus post diuturnos carceres grandi se pecunia redemit. Ceteri quidem fuga elapsi; at Fridericus prædonum Dux, quod pede tardior, interceptus denuo, & ex fuga retractus in carceres; nec prius dimissus est, quam multis consanguineorum & amicorum precibus, a quibus utrumque castrum vetus & novum tenebatur, Fridericus & Joannes fidem jurent Joanni Episcopo & Capitulo Paderbornensi, vadesque darent. Postremum grandi pecunie summa multati.

Digna certe raptorum poena, qua omne prædæ lucrum, voracium canum instar; uno vomitu egerere coacti sunt. Neque vitio datum Joanni Episcopo, dolo prædones & rebelles nobiles interceptisse. Nam ut sapienter D. Augustinus scripsit, cum justum bellum suscipitur, sive aperte quis pugnet, sive ex insidiis, nihil ad justitiam interest. Bonus siquidem hic dolus, ut magnus juris consultus ait, pro solertia habendus, maxime si adversus hostes & latrones prædonesque procedat. Castigatis in hunc modum Padbergiis, reliqua prædonum turba evanuit; habuitque ex his felicibus auspiciis Joannes Episcopus auctoritatem apud suos, & tranquillam exinde diocesis gubernationem.

August. in
7. super Jo.
sue.
Ulpianus L.
de dolo.

Annus Christi 1395.

Bonifacii IX. Pont. 6. Wenceslai Reg. 18.

Joannis Hojani Ep. Pad. 2.

Sustulit dehinc annus consequens, Christi nimirum nonagesimus quintus supra millesimum trecentesium, II. Septembris Conradum Winsbergium Moguntinum Archiepiscopum, Metropolitanum nostrum, virum religione & pace egregium. In cujus locum Metropolitanus Canonici concordibus suffragiis elegere Godefridum Comitem Læningensem, pari doctrina & pietate excellentem. Sed is cum in curia Romana cunctantius rem suam ageret, prævertit Joannes Comes Nassovius, multisque largitionibus Archiepiscopatum impetravit. Vir corporis statura parvus, sed qui ingenio prudentiaque magnus, eoque pro Nassoviorum indole acer atque callidus diceretur. Tertius ille post Gerlacum & Adolphum fratrem Moguntinus Archiepiscopus ex Nassoviis. Metropolitanus quidem nostri Moguntini Archiepiscopi; verum ex quo prisca pietas, provinciales Episcoporum synodi, & publici conventus Imperii oblanguerunt, rara cum cum Metropolitanis nostro communicatio; omneque præsidium auxiliumque in Coloniensi Archiepiscopo & fœdere cum vicinis Episcopis quaerendum fuit.

Ac quamvis prædonum prædandique libertas severis legibus & poenis per Westphaliam, ex fœdere Episcoporum ac Principum, interdicta fuerit;

non tamen se continuit Bitterus Raesfeldius, quin cum filio equite, collectisque prædonum sociis, extra patrum solum excurreret in Ultrajectensem diocesim, rapinis grassando. Quem e vestigio infecutus Fridericus Blanckenheimius, Florentii successor, præclarus Ultrajectensis Episcopus, ad Luppianam usque; abactaque præda, castrum Ostendorpium expugnatum exustumque intra cineres reliquit; non invito Ottone Monasteriensi Episcopo, cui nihil gratius, quam ejusmodi prædonum castella subverti.

Bitterus
Raesfeldius,
prædator
ab Episco-
po Ultraject.
cino fugatur,
Chron.
Monast.
Heida in
Friderici
Ultraj.
Episcopo.
Gleinjorg.

Vicini Hammoniensis nostri ad Luppianam flumen omnes circum limites urbis suæ, ducto aggere, tanquam prolatis pomeriis includere, quales infan- laboris aggeres vallorum instar passim per Westphaliam spectantur cum speculis in montibus, ad subitas hostium incursiones arcendas, aut firmam defensionem. Quæ nunc bellandi ratione inutilia opera conspiciuntur. At Joannes Episcopus noster multus fuit in castris præmuniendis, comparandisque. Nam ut relictae tabulæ docent, emit hoc anno mediam partem castris Oppidique Levenowentis a Burchardo Pappenheimio milite, ejusque filiis, depensa summa 7100 florenorum Rhensium festo Conceptionis B. V. Mox festo D. Lamberti, quartam ejus castris partem ab Henrico Comite Waldecen-

Hammoni-
ensis limi-
tes suos du-
ctis aggeri-
bus inclu-
dunt.
lib. 2. P.
derb. antiq.

Partes ali-
quot castris
oppidique
Leveno-
entis a Joanne
Ep. emp.
Ecclesie
Pad. adjun-
guntur.

§ s

§ s

Gobelin. t.
85. anat. 6
Padbergio-
rum motus
& insolentia
ab Episcopo
& aliis com-
primuntur

Itterarius
in Mogunt.
Trilem.
Mortitor
Conradus
Winsber-
gus, Ar-
chiep. Mo-
gunt.
Eligitur
Godefridus
Comes Læ-
ningensis.

Succedit
Joannes
Comes Nas-
sovius.

fi, ejusque filiis Adolpho & Henrico emptam adjecit, repetiitque ad possessionem Ecclesiae Paderbornensis. Quippe Helmeswardehusanum Monasterium, Krockenburgum, Drendelbergum castrum & oppidum, & Levenowense castrum cum Oppido ad Dimolam

fluvium antiqua Paderbornensis Ecclesiae loca Caesarem donatione; in qua partim Hassi; partim Waldecenses Comites per superiora bella manus iniecerant, donec postremum nostra memoria Hassi in dicecesis nostrae detrimentum & diminutionem cederent.

Annus Christi 1396.

Bonifacii IX. Pont. 7. Wenceslai Reg. 19.

Joannis Hojani Ep. Pad. 3.

*Chron.
Monast.*

Verum Levenowensi castro in suam potestatem redacto, Hojanus Episcopus mox altero anno, acceptis 5000 florenis aureis, idem rursus Burchardo Pappenheimio oppignorat; ea tamen lege, ut in fide Episcopi Paderbornensis tueretur, redimique sineret. Nam per id tempus Hojanus Episcopus pecuniae indigus ad aliud bellum se comparabat, pro Ottone Episcopo Monasteriensis ac fratre suo e captivitate liberando. Poscebat hoc militare auxilium tam fraterna pietas, quam commune foedus inter Episcopos Westphaliae initum. Et iusta Ottonis Episcopi Monasteriensis bellique haec causa erat. Post Comitem Teclenburgicum repressum nemo infestius dicecesi Monasteriensis imminere praedis & injuriis, quam Ludolphus Steinfurdiae praepotens Dynasta, Balduini filius, homo pro ingenio patris turbidus. Construxerat is castrum haud procul Scoppingiae Oppido, & Vechta amne, in fundo Episcopi, & ab invidiae nomine Ovelgunnam appellarat; ex eoque continuis incursionibus ac praedis divexabat circumjacentem dicecesis regionem, adscito in societatem belli & rapinarum Solmensi Dynasta, Ottensteinii castri domino, homine inquieti & praedatorii ingenii, qui ex suo castro haud minus erat molestus dicecesi. Otto qui ejusmodi praedonum & insultantium hominum acerrimus vindex erat, Ovelgunnam obsidione incingit, & ad deditionem compellit. Ejectis hostibus, consilia agitantur de castro funditus evertendo. Quo cognito, intervenit Steinfurdensis, & ad mensum demolitionem differri rogat, ultroque se ad compositionem offert. Interea homo callidus Solmensis cum copiis advocat, quem & suis praeficit; captumque ex insidiis Ottonem Episcopum haud procul Hostmaria, nihil hostile per in-

*Ludolphus
Steinfur-
diae Dyn-
sta Dice-
cesi Mon-
asterien-
si infes-
tus.*

*Ottonem
Ep. Monast.
capivum
Steinfur-
diam abducit.*

ducias suspicantem, Steinfurdiam abducit. Nihil his abjectior animo Episcopus, equo investus, Leonino vultu oreque libero affatus obvius de perfidia queritur. Mox remissis ad Capitulum & provinciales nunciis, mandat nihil suo casu terreantur, quem ipse non alium aestimet, quam si ex equo prolapsus sit; omnia perinde ac si captus non sit, constanter agant, elapsoque mense induciarum Ovelgunnam castrum funditus subruant.

Vulgata Episcopi captivitate, advolant cum suis copiis Joannes Paderbornensis Episcopus, & Ericus Hojanus, Ottonis fratres, Simon Comes Lippienensis; multique Westphaliae proceres. Hi junctis cum nobilitate Monasteriensis armis, II Calend. Augusti Steinfurdiam, castrum Oppidumque arcta obsidione includunt, valla, aggeres, & cetera obsidionalia munimenta circum excitando, certi non prius abscedere, quam injurias ulti, Episcopum receperint. Quae licet Steinfurdensis Dynasta, confusus castri munimento, sperneret; Oppidani tamen trepidare, vota Deo facere, sollicitare compositiones, ne tota vindicta in ipsos recideret. Sed dum obsidio difficilior, quam sperabatur, trahitur, per Wessalum de Kemnade, Commendatorem eo loco ordinis sacri, ac ceteros arbitros, pax certis legibus convenit; quibus Steinfurdium Dynasta ex pristino jure relinquitur, & Episcopus liber dimittitur. Addunt interim, septem millium florenorum lytrum esse exactum urgente Solmensi, a quo dure habitus Episcopus. Sed & ille post castri sui Ottensteiniani expugnationem, bonorumque jacturam, haec luere visus. Nullum Otto hostem nactus, quem non armis obtiverit. Captus & per id tempus perfide Theodoricus Osnabrugensis Epi-

*Ottonis
fratres, alii
que proce-
res Steinfur-
diam obsident.*

*Pace certis
legibus ini-
ta, Episco-
pus liber
dimittitur.*

*Wences-
laus R. per-
sime impe-
rii admi-
nistrans, bi-
capite Cae-
saris tra-
ditur.
Historia
Thuringia
Cujusian.*

*Raynaldus
in histor.
Eccles.
Osnabrug.
Scripsit.
Galli.
Breuver.
lib. 18.
Gobelinus
Auctor.
Cron.
Belg.
Hijer.
Thuring.
De schif-
mate col-
lendo labo-
ratur in
Gallia, quo
etiam se
contulit
Wences-
laus Roma-
norum Rex*

Episcopus a nobilibus Buschiis, & in custodiam detrusus. Tanta privatorum etiam nobilium in suos praefules audacia erat.

Sed & hoc ipso anno, ut auctor historiae Thuringiae memorat, Wenceslaus Bohemiae & Romanorum Rex, a quo hujusmodi scelera & sacrilegia puniri debebant, ob socordiam ac tyrannidem a Baronibus regni Bohemici captus, & per quatuor menses in custodiam abreptus; at mox a Joanne fratre Marchione, Duce Lusatae, & Procopio Marchione Moraviae libertati redditus, non sine majori Reipublicae jaectura, quod omnia luxu, libidinibus, & saevitia multo calamitosius sceleret. Eo quippe haecenus regnante, non modo per Saxoniam, Thuringiam, Haf-

siam, Westphalam, quod omnes scriptores deplorant; sed & per universam Germaniam omnia civilibus bellis, nobilium factionibus, rapinis praedonum miscebantur: nec alia Saxoniae Germaniaeque species, quam si ad primam barbariem reditura; nec aliud a Wenceslao subsidium, quam si ex numero mortaliu expunctus esset. Haud multo post, cum eadem vitia multo scelerius redirent, Sigismundus frater, Ungariae Rex, permotus Bohemorum querelis, Wenceslaum capit, captumque Alberto Duci Austriae custodiendum transmittit. Sed cum Viennae negligentius servaretur, fuga elapsus, regnum & inertem lascivamque vitam repetiit, vino, ventri, & veneri noctes diesque indulgendo.

Annus Christi 1397.

Bonifacii IX Pont. 8. Wenceslai Reg. 20.

Joannis Hojani Ep. Pad. 4.

Laborabat per haec scedo adhuc schismate Ecclesia; extinctoque ante triennium Avenione in Gallis Clemente Pseudopontifice, schismatici Cardinales subrogarunt Petrum de Luna Aragonensem, qui se Benedictum XIII appellavit. At Bonifacius, Romanus ac verus Pontifex, cum apud Reges, Principes, & Episcopos, qui schismati obnoxii erant, nihil sollicitius ageret, quam de schismate tollendo, permovit & Carolum VI Francorum Regem ad concordiae saluberrima consilia. Atque arduum id opus ut conficeret, honorifica legatione invitavit Wenceslaum Romanorum Regem in Franciam; qui tanquam e veterno excitatus, cum insigni procerum Germanorum comitatu Rhemos usque prodiit, ubi per Quadragesimam a nobilitate Francica omni honorum & officiorum genere exceptus est, expensis etiam in singulos dies decem haeccum vasis, octingentisque carponibus. Tractatum mox de schismate tollendo; eoque res deducta, ut Bonifacius & Benedictus ultro supremam dignitatem ponerent, tertio conferendam. Cui decreto cum praefules Galliae intercederent, Bonifacio Pontifici studiosi, & Wenceslaus pro ingenio pecoris magis quam hominis rem segnius ageret, irritus ille labor conventusque recidit.

Interea Bonifacius Pontifex multas per Thuringiam, Saxoniam, Westphalam, & totam Germaniam indulgentias est largitus, missis in hanc rem legatis & literis; in his quia adjurices simul manus poscebantur (ut a Gobelino nostro, auctore chronici Belgii, & historiae Thuringiae, aliisque annotatum est) multos ea largitio sacra offendit, tanquam lucro obnoxia, immemores haec ultro peti, & absolutionem a peccatis condonationemque nozarum pendere ab ultronea oblatione. Fiunt & veteri ritu oblationes solemnioribus festis diebus post confessionem & sacrificia Pastoribus in Ecclesia, atque etiam multo frequentiores fuere; quae tamen a lucri vitio alienae sunt, ne quid hic haeresis carpat. Hujusmodi vero indulgentias, de quibus hic agitur, sicuti Pontifex Magdenburgensibus, Praegensibus, Misnensibus, Colonensibus, aliisque urbibus passim & locis, ita Paderbornensibus etiam obtulit, quarum hoc exemplar est.

Bonifacius Episcopus Servus servorum Dei, Dilectis filiis, Capitulo Paderbornensi salutem & Apostolicam benedictionem. Sincera devotionis affectus, quem ad nos & Romanam geritis Ecclesiam, digne nos excitat & inducit, ut petitiones vestras, in his praesertim,

SS 2

que

Wenceslaus R. pef-
sime Impes-
riam admi-
nistrans, his
espens Cus-
todiae tra-
ditur.
Historia
Thuringia
Cuspinian.

Raynaldus
in histor.
Eccles.
Onofrius.
Scriptor.
Galli.
Brevier.
lib. 18.
Gobelinus
Auctor.
Chrou.
Belg.
Histor.
Thuring.
De schis-
mate tol-
lendo labo-
ratur in
Gallia, quo
etiam se
contulit
Wences-
laus Romae-
norum Rex

Indulgen-
tia a Boni-
facio papa
Ecclesiae
Pad. cons-
cessa.

Otonis
fratres, ali-
que proce-
res Stei-
fordiam
obsident.

Pace certis
legibus in-
ta, Episco-
pus liber
dimittitur.

quæ animarum salutem respiciunt, ad exauditionis gratiam admittamus. Hodie siquidem de Omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus & confessis, qui Ecclesiam vestram in festivitate visitationis beatæ Mariæ Virginis a primis vespers ad secundas istius festivitatis devote visitaverint annuatim, & ad ejus conservationem manus porrexerint adiutrices, illam indulgentiam & remissionem peccatorum, quam Ecclesiam sancti Marci de Venetiis Castellani diœcesis in festo Ascensionis Domini nostri Jesu Christi visitantes annuatim, quomodolibet consequuntur, per nostras literas duximus concedendam. Nos igitur ut Christi fideles ad ipsam Ecclesiam in hujusmodi festivitate confluentes, conscientiæ pacem, & animarum salutem ---- sive participes esse possint, benignius agere volentes, vestris hac in parte supplicationibus inclinati, ut quatuor aut plures, ----- de quibus vobis videbitur, & fuerit opportunum, qui confessiones quarumcunque personarum ad ipsam Ecclesiam causa hujusmodi indulgentiæ assequendæ accedentium in ipsa festivitate duntaxat audire, & ipsis diligenter auditis eisdem personis pro commissis debitam absolutionem impendere valeant, & conjungere penitentiam salutarem, nisi forsitan talia fuerint, propter quæ sedes Apostolica sit merito consulenda, deputare valeatis, devotioni vestræ auctoritate Apostolica tenore præsentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare præsumserit indignationem Omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud S. Petrum XV. Calend. Januarii Pontificatus nostri anno nono.

Magnificus Pontifex Bonifacius IX, qui post Urbanum VI Apostolicam sedem ex Galliis revocatam in pristinam dignitatem splendoremque restituit, castrum S. Angeli, Capitolium Palatinum, collapsasque Ecclesias instaurando: nec facile ante eum Pontifex conspectus, qui majorem Romæ potestatem, & in patrimonio S. Petri magnificentiam ostenderit; quæ cum tempo-

rum iniquitas postularet, tum congruum fuit Christianum etiam populum, ad Apostolicæ sedis auctoritatem reparandam, adiutrices manus porrigere.

Quamquam pecunia, quæ Indulgentiarum largitione simul per id tempus oblata est, majorem in partem colligeretur in expensas belli adversus Turcas. Sicuti etiam superiori anno Sigismundus Ungarorum Rex, Wenceslai Cæsaris frater, cum Bajazete Turcarum Imperatore infelici prælio ad Nicopolim congressus, omnem fere Christianorum exercitum amisit. Submiserant ad id bellum copias suas Galli & Burgundi, torpente Wenceslao Cæsare; neque e Germania subsidia aderant, quæ civilibus inter se armis digladiabatur. Igitur Turca, Bulgariam, Bœniam, interiorum Macedoniam, Thraciam, Tessaliamque turbinis instar pervagatus, & Constantinopoli imminere cepit.

Tandem & Germaniæ Principes, intestina Reipub. vulnera, cum omnia civilibus armis, prædis, & latrociniiis miscerentur, persananda, Francofurti conventum habuere. Auctorque est Browerus ex veterum eorum temporum Chronico, centum quinquaginta Principes & Comites adfuisse, equites vero ac nobiles armigeros quinquies mille. Othiduo in deliberatione posito, alia ad festum D. Jacobi sequenti anno comitia indixere:

Prædatorium interim hoc anno bellum fuit Wilhelmo Juliæ & Gelriæ Duci cum Joanna Brabantia moderatrice, ob ministros duos injuriose tractatos a Brabantinis; conscriptoque exercitu triginta millium armatorum (cui & Fridericus Colonienfis, Otto Monasteriensis, Theodoricus Ofinaburgensis, Episcopi suas copias adjunxere) Brabantiam irrupit, longe lateque Campiniam depopulando. Postquam prædis ira expleta, Dux exercitum reduxit, & dissolvit. Quo cognito, insequuntur Brabantini, parique incurfione vastare Gelriam ac Juliam. Idem bellum cum anno sequenti utriusque irruptionibus, alternisque cladibus repeteretur, per arbitros de pace tractum est.

Sed

Pecunia et indulgentiarum concessione collecta, expenditur in bellum adversus Turcas.

Comitia Francofurtensia.

Bellum Ducis Juliacensis cum Brabantinis. Mejerus lib. 14. Diobari Heurer. l. 1. Burgun. Pontan. l. 8. Geld Tschern. pag. 401.

Trithem. in chron. spano. Pontan. l. 1. h. 1. Gelr. Tschern. p. 202. & 253. Writius in Chron. M. S. Chr. Monach. Chr. Colon. Clavinorg. Chron. Tremon. M. S. Chron. Citeuse. Et Ducis Montensis cum Clivivilius.

Donatio Parochie S. Dionysii in Thule facta conventui Montis-Martis, confirmata a Joanne Episcopo Paderb.

Sed longe atrocius hoc ipso anno bellum intulit Wilhelmus Montium Dux, Ruperti & Wilhelmi Paderbornensium Episcoporum pater, Adolpho Cliviae Duci, ex sorore genito nepoti. Belli causa telonium Caesaris-insulae, quod uterque sibi ex controverso jure vendicabat. At Montium Dux impatientis morae confususque tam Wilhelmi Juliae & Gelriae Ducis consanguinitate, quam Roberti Palatini affinitate, cum numerosissimo exercitu (quo magna pars Westphaliae excita fuit) Cliviam ingressus, Clivos ad praelium evocavit. Intrepidi ad haec Clivii, septima Julii die, ad pagum Kellensem pugnae sese sistunt, matre e cygnea turri spectante filii & fratres cruentum certamen. Victor primo congressu Dux Montium: mox instaurata acie a Wesaliensibus caesus, captusque Clivos abducitur; quocum in captivitate venere Guilielmus Dux Montium, Reinoldus Wilhelmi Gelriae & Juliae Ducis frater, Comites quatuor, nobiles sexcenti, equi bis mille. Cessit hac victoria Clivio telonium Caesaris-insulae, Sinzichium, Rhegiomagum, Embrica cum Limarsia & Hetteria, multaque captivorum bona. Tam infelices bellorum exitus plerumque iis esse solent, qui armis jura praeripiunt. Haecenus illi eorumque majores in vexandis Episcopis occupati, nunc mutuis & consanguineis armis se conficiunt.

Sanctiori in Dicecesi nostra studio intentus Episcopus, ut laboranti 1397. in Monte-Martis religioso cœtui succurreret, donationem Parochiae S. Dionysii, ante aliquot annos Monti-Martis factam a Bodone Abbate Corbeiensi, hisce, quas subjungimus, literis, ratam habet.

Joannes Dei & Apostolicae sedis gratia electus & confirmatus Ecclesiae Paderbornensis: Religiosis viris in Christo dilectis, Praeposito & Conventui Montis-Martis, Ordinis S. Benedicti, nostrae dicecesis memoratae, salutem in eo, qui est omnium vera salus. Ex relatione vestra aliorumque fide dignorum recepinus, qualiter, vestrum Monasterium praelibatum disturbis guerrarum, aliisque infortunis & gravaminibus vestrorum superiorum attenuatum, non solum defectum in temporalibus patitur, verum etiam oppressum sit gravissimis oneribus debitorum; sic quod fratres,

coguntur extra Monasterium victum quaerere, per mundumque vagari non sine scandalo & dispendio Ordinis & sacrae religionis; cultusque divinus dicti Monasterii propter personarum paucitatem & absentiam, ut asseritis, permaxime remittitur & decrescit. Nos igitur, qui sacram religionem in statu debito fovere intendimus, prout officii nostri debitum postulat & requirit, vobis & Monasterio vestro saepedicto, ut sustentari eo commodius possitis, ac divinis officiis indeficiente mancipari, Venerabilis ac Religiosi viri D. Conradi Abbatis Monasterii SS. Apostolorum Petri & Pauli Paderbornensis Archidiaconi sedis in Haldencusen, Decani Ecclesiae nostrae Paderbornen. totiusque Capituli ejusdem Ecclesiae unanimi consensu accedente, Ecclesiam S. Dionysii in villa Thulen per Venerabilem ac Religiosum virum Dominum Bodonem, quondam Abbatem Ecclesiae Corbeiensis, dato consensu conventus sui, vobis cum jure patronatus, & omni integritate & pertinentiis in supplementum praebendae vestrae donatam, sicut etiam literis super hoc confectis contineri didicimus, vobis conferimus propter Deum; ita quod fructus, redditus, proventus & oblationes ipsius Ecclesiae, cum ipsam vacare contigerit, ex tunc ad usus vestros possitis convertere ac etiam retinere. Praepositus vero vestri Monasterii, qui pro tempore fuerit, unum de confratribus sui conventus, Archidiacono loci ad ipsam Ecclesiam praesentabit, qui investiet praesentatum; & investitus de nostra nostrorumque successorum licentia, & de sui Praepositi consensu, ipsius Ecclesiae plebem regat; & talis ratione investiturae tenebitur ad omnia nostra & Archidiaconi loci mandata exequenda fideliter, in justis, licitis, & honestis: & nihilominus ad omnia alia, ad quae tenebatur praefata Ecclesiae Clericus secularis, salva sibi in omnibus regulari & Monastica disciplina. Ad procuraciones vero seu contributiones sedis Apostolicae, vel nostras, tenebitur Plebanus jam dictae Ecclesiae secundum antiquam quantitatem, prout est haecenus registrata. In cujus rei testimonium praesens scriptum nostro, Capituli nostri, nec non Archidiaconi loci praedicti sigillis fecimus roborari. Datum & actum Paderburnae. Anno Domini millesimo, trecentesimo, nonagesimo septimo, ipsa die B. Liborii Episcopi.

Annus

Tritem. in Chron. Span. Pontan. l. 8. hist. Geir. Tschern. p. 202. & 253. Wictius in Chron. M. S. Chr. Monast. Chr. Colon. Clujorg. Chron. Tremon. M. S. Chron. Citiense. Et Ducis Montensis cum Clivialibus.

Donatio Parochiae S. Dionysii in Thule facta conventui Montis-Martis, confirmatur a Joanne Episcopo Paderb.

Pecunia ex indulgentiarum concessione collecta, expenditur in bellum adversus Tartas.

Comicia Francofurtensia.

Bellum Dacis Juliacensis cum Brabantibus, Mejerus lib. 14. Divus Henricus l. 1. Burgun. Pontan. l. 3. Geir. Tschern. pag. 401.

Annus Christi 1398.

Bonifacii IX. Pont. 9. Wenceslai Reg. 21.

Joannis Hojani Ep. Pad. 5.

Pax Fran-
cofurti
conclusa,
nequa-
quam diu,
tamen, ob
solicitudi-
am Imperato-
ris.

Subeunte dehinc anno, qui constitutus fuerat, hujus sæculi nonagesimo octavo, Principes Francofurti rursus in comitia festo D. Jacobi convenere. Atque ut intestinis bellis ac prædationibus modum facerent, pacem communem sanciunt; quæ tamen mala languente capite, & Wenceslao Rege intra otium, luxum, & crapulam consopito, ad pristinam licentiam redire; quod sprete majestate Imperii, nec iudex esset, qui controversias publicas pro regia auctoritate decideret. Nec tribunal, ad quod provocaretur: nec locus conveniendi querapiam, in quo nomine Imperii defensio & patrocinium susciperetur. Hinc ex privatis controversiis & litibus publica & libera bella, ex bellis vastationes agrorum, latrocinia, prædæ & incendia; quibus nec templis, nec Cœnobiis, nec sacris ullis parcitur; id quod Principes multis in sententia auctoritatis queruntur.

Theodorici
Morsanus
Ducatus
Montensem
hostem
per
vagus
interitur,
Chr. Colon.
Teschem.
p. 254.
Chron.
Tremou.

Hoc turbido rerum statu Theodorici Morsanus, Adolphi Cliviæ Ducis frater, ingentis animi juvenis, quantumvis inter ipsos Duces anno superiori compositum esset, Montensem Ducatum hostilibus rursus armis ingressus, vastatis agris, Mulheimium Oppidum, quod Agrippinæ objacet, diripit. Inde cetera loca pervagatus spoliis, Elberveldam oppugnatione adortus; ac dum ferventius incautusque incenia subit, a Saxone milite sagitta percussus e vestigio expirat. Cadaver in Cœnobio S. Claræ Hærdæ haud procul Tremonia humatum. Visitur & sepulchrum versibus ejus sæculi exornatum. Theodorico sine prole extincto cessit Marcanus Comitatus Adolpho fratri, Cliviæ Duci qui cum superiori victoria clarus, tum Marcano Comitatu auctus, vicinorum animos ad se traxit.

Otto Ep.
Monast.
Vredenses
rebellantes
ad obsequium
reducit

Hos inter Vredenses, seu a Duce pellecti, seu rebellionem conciti, sese ab imperio Ottonis Monasteriensis Episcopi sui iubtrahere moliebantur, ac Clivio Oppidum suum in tutelam dare. Res eo processerat, ut Clivius castrum

istic firmandæ potentie causa erigere cepit. Quod ubi Ottoni Episcopo significatum, magno equitatu cinctus, festinatis itineribus Vredenam advolat, Oppidumque ex improviso ingressus in auctores perfidie severe animadvertit; ac ne a finitimis Clivis sollicitati ad rebellionis consilia redirent, arce extructa, Vredensibus frena imposuit: opportuno simul consilio, quo & nudum illud dicecesis latus præmuniret, & vicinos infestatos hostes, Henricum Solmensem Ottensteinii, & Svederum Vorstium Ahufæ, ceterosque Dynastas in officio contineret.

At eo in opere dum versatur Otto Episcopus, intelligit Limburgi Comitem, & Ahufanum Dynastam per dicecesin, quo ad Luppium porrigitur, prædis grassari. Et ille, ut consilio manuque expeditus erat, cum equitatu ad Luppium festinat, Limburgique Comitem ad Lunna Oppidum allecutus, cum multa armigerorum nobilium turba captivum abducit, quocum magna simul præda potitus. Postridie, quæ par felicitas erat, Ahufanus interceptus una cum octoginta armatis e nobilitate equestri viris in potestatem Ottonis venit, & biennio captivus in custodia est habitus; nec prius liberum Episcopus reddere voluit, quam triginta millia florenorum promitteret se daturum in lytrum. Ex his octodecim millia statim representata: pro reliquo, quod duodecim millium erat, dynastiam Ahufanam pignori opposuit. Quod ea lege accepit Episcopus, ut, nisi intra præscriptum tempus pecuniam numeraret, dynastia perpetuum cederet Monasterienti Ecclesie. Id quia præstitum non est ab Ahufano, Otto Episcopus ex sententia Rainaldi Juliæ & Geldriæ Ducis quatuor florenorum millia addidit, & totam dynastiam Ahufanam, haud leve peculium, Monasterienti Ecclesie adjecit. Transactum per hæc simul cum Theodorico Osnabrugensi Episcopo, festo Innocentium Martyrum, ob diffidentes Cloppenburgo impositos præfectos; cessitque Otto Osnabrugensibus Vordenfense Oppidum, in cuius locum

Comitem
Limburgi
& Dynastam
Ahufanum, Di-
cecesin in-
festantes
capit.

Bonifacius
PP. Privi-
legis Her-
vordensis
Canonice
confirmat.

Dynastiam
Ahufanam
Ecclesie
Monast.
adjecit.

locum ex integro recepit Cloppenburgum.

Hæc felicia Ottonis arma, successusque rerum, multum adjuvare Joannem Hojanum Episcopum nostrum, Ottonis fratrem; alterque alterius patrocinio manique defendebatur. Quo factum, ut & Episcopus noster hæcenus tranquillam dicecesin administravit, multis vicinorum incursionibus divexitam. Is sub exitum hujus anni magno augmento complexus dicecesin suam, ex consensu Capituli & Ministerialium, transegit cum Hermanno Comite Ebersteno de Comitatu suo Ecclesiæ Paderbornensi in perpetuum transcribendo. Et res in hunc modum confecta fuit; ut dum viveret Comes, castrum Dringenberg cum Oppidis & villis, castrumque Steinheim cum adjunctis bonis esset in possessione fructuque Comitis: eo mortuo, hæc omnia cum Ebersteno Comitu redirent ad Ecclesiam. Sed cum postea Comes ex conjugeprolem susciperet, omnia hæc in irritum recidere. Hoc Episcopo civilia tractante, sacrorum administratio per receptos jam suffraganeos Episcopos commissa fuit Gerharδο Theologo, & Vicario rerum sacrarum; quem hoc anno dicecesin perlustrasse, & Huxtariae duo sacerdotia conjunxisse tradunt Huxtariensium literæ. Adhæc Bonifacius Pontifex ut Hervordienſe Virginum Collegium, eamque Ecclesiam intra dicecesis nostræ terminos ab infestationibus insolentium hominum præmuniret, ritu veterum Pontificum præclarum diploma dedit, quo omnia Virginum sacrarum privilegia & bonorum possessiones interpellatus sub initium sequentis anni instauravit.

Bonifacius Episcopus servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus, Abbatissæ, Præpositæ, Decanæ, & Capitulo secularis Ecclesiæ Hervordensis Paderburnensis dicecesis salutem & Apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur, quod justum est & honestum, tam vigor æquitatis, quam etiam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter dilectæ in Domino filiæ, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras & locum, in quo divino estis obsequio man-

cipatæ cum omnibus bonis, quæ in presentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis præstante Domino poteritis adipisci, sub beati Petri protectione suscipimus, atque nostra, specialiter autem decimas, terras, domos, curtes, vineas, hortos, agros, silvas, nemora, stagna, piscinas, & alia bona ad vestram Ecclesiam spectantia, omnesque libertates & immunitates, a prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus sive per privilegia vel alias indulgentias vobis, & Ecclesiæ vestræ prædictæ concessas, nec non libertates, exemptiones secularium exactio-num, ab Imperatoribus, Regibus, & Principibus, Ducibus, Baronibus, nobilibus fundatoribus dictæ Ecclesiæ, & aliis Christi fidelibus, vobis & prædictæ Ecclesiæ vestræ concessas, & alia bona vestra, sicut ea omnia juste & pacifice possidetis, vobis, & per vos eidem Ecclesiæ vestræ auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, salva in prædictis decimis moderatione Concilii generalis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ susceptionis, confirmationis, & communitationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud sanctum Petrum VIII Idus Februarii, Pontificatus nostri anno decimo.

Postremus quoque hic annus Ottoni, Mindensium præstanti Episcopo, ipsis Calend. Januarii defuncto, postquam tredecim annis dicecesin magna auctoritate & quiete gubernarat. Ortus, ut supra diximus, veteri piaque Advocatorum de Monte apud Mindam familia, ex qua antecessor ejus Widekindus, & Gerhardus Hildesienſes Episcopi memorantur. Erant Ottoni septem fratres; ex his Widekindus junior Præpositus Mindensis, Joannes Canonicus Osnabrugensis ante sexennium defunctus, ac Simon innocentis vitæ clericus, qui morti vicinus, confususque patrocinio B. Virginis, quam unice vivus coluerat, hilari & cygneæ voce auditus est canere hymnum Ecclesiæ, speciosa inter filias Jerusalem, quo in cantu animam lætus Deo reddidit. Ceteris etiam fratribus sine prole extinctis, Otto superstes

Chr. Mind. a Meibomia editum. Chr. Mind. a Pistor. editum. Chron. Germ. in S. Crantz lib. 11. Metrop. c. 13. & 24. Ottonis Ep. Mindensis obitus & laus.

Joannes Ep. Pad. Comitatum Ebersteno non Ecclesiæ suæ adjungere nititur.

Bonifacius PP. Privilegia Hervordienſium Canoniarum confirmat.

Dynastiam Ahufanam Ecclesiæ Monast. adjicit.

perstes omnem avitam Dynastiae hæreditatem, in eaque duo castra Mindensi Ecclesie testamento transcripsit, dubiumque fecit, utrumne vivus, an moriens magis de Ecclesia sua meritis fuerit. Præsul præcæ pietatis & candoris, cujus memoriæ multis Cleri, & populi lacrymis, multisque versibus parentatum.

Hic jacet electus Otto Præsul modo reclusus,

Qui meritis magnus fuit, & mansuetus ut agnus.

Huic duo castra dedit sedi quo tempore sedit,

Et sibi districtum mortis genitore relictum.

Pro quo Christus ei sedem tribuat requiemque.

Conditur hac tumba vir nobilis atque columba,

Simplex ac reclusus, heu nunc in corde reclusus.

Præsul Mindensis Otto de Monte vocatus,

Laudibus immensis Cleri vulgique probatus.

Post mortem optimi & tranquillissimi Episcopi dicecesis conjuncta in graves turbas ob successorem, quem Canonici ab excessu Ottonis una consensione elegere Wilhelmum * a Busch, Præpositum Mindensem e veteri Westphalia nobilitate. His neglectis Pontifex Marquardum a Randegge, gente Svevum, virum quidem eruditum, prudentem consilio, manūque promptum præfecit, quem & Mindenses pro observantia in Pontificem solemniter exceptum introducere in urbem; verum haud multo post facta inter Canonicos, nobiles, & cives conspiratione, noctu nihil suspicantem adorti, extra urbem & dicecesin eiecere. Dissimulavit factum Pontifex, & Marquardum ad Constantiensem Episcopatum transtulit, ubi popularibus longe gravior fuit; receptusque inde Wilhelmus Buschius Ordinum consensu; cujus tamen Episcopatus triennio & sex mensibus postea absolutus fuit.

* al. Bursche, & Buschen, in Chr. Mind. Mindensi Ecclesie præficiuntur Canonicorum electione Wilhelmus a Busch at Pontificis voluntate Marquardus a Randegge.

Annus Christi 1399.

Bonifacii IX. Pont. 10. Wenceslai Reg. 22.

Joannis Hojani Ep. Pad. 6.

Volvebatur per hæc Imperium inter priores malorum fluctus; neque a Wenceslao Rege, qui jam in vigesimum secundum annum Regis ac Cæsaris nomine sedebat ad clavum Reipub. ullum subsidium, aut cura boni publici, aut spes melioris frugis. Quare rursus hoc anno convenere Principes, multisque inter se consiliis agitavere de imperio homini ignavo & simulacro Principis abrogando. Id cum ille rescisset, non tamen adeo focors agebat, quin retinendi Imperii cupidine tactus, per Legatos & literas modo civitatum, modo Principum animos demulcere studeret, convocatis etiam Norimbergæ comitiis; quæ cum parum procederent, alia in urbe Eslingensi indicit.

Interim per Imperium omnia civilibus armis ac deprædationibus miscbantur. Ceterisque prætermittis, magna, inquit Trithemius, bella agitata sunt in ducatu Montium. A Clivis nimirum, Marcanis, & Monasteriensibus inter se digladiantibus; quod ex priori controversia adhuc odia iræque fument; a quibus tamen nihil præter vastationes agrorum Oppidorumque

actum est. At vero Adolphus Dux Cliviæ bello & potentia provinciarum clarus, ne Montium Duci cederet, a quo Ruperti Palatini, quem mox Romanorum Regem spectabimus, filiam in matrimonium ductam memoravimus, alteram Palatini filiam Agnetem sibi splendidissimis nuptiis junxit; ex quo tamen conjugio nulla proles suscepta.

Otto Monasteriensis Episcopus, quod pace transegerat cum Marcanis & Cliviis, arma vertit in rebelles Frisios. Ex his furiosus quidam prædo Wiseldus Thedingam, celeberrimum in iis locis Cænobium Virginum Benedictinarum, quod tum Folco Abbas regebat, occuparat, captusque situs opportunitate in arcem prædatoriam præmunire cepit. At cum locum tueri se non posse sensit, ignem in omnia sacra ædificia injecit; jacuitque per octennium Cænobium sine habitatore vastum. Imploratus adversus hunc turbatorem Otto Monasteriensis Episcopus, intra cujus jurisdictionem locus erat, traxit in societatem belli Bremensem & Mindensem Episcopos, Comitumque Oldenburgensem. Horum

Brovverus.
Agitur de Imperio Wenceslao R abrogando.

Trithem. in Chron. Spanh. Chr. Colon. Chron. Tremon.

Joannes Hojanus Ep. ab Ecclesia Pad. transit ad Hildesensem, Gobelonus Bruschius Kerfent. Leisor in M. S. histor. Ep. Hild. Graetz lib. 10 Metrop.

Ubo Em. mius lib. 16. histor. Frisa. Otto Ep. Monast. pacem Ecclesie Frisiz restituit

auxiliis confirmatus, ea via, qua Oita in Comitatum Oldenburgicum ducit, Frisiam ingressus, Wafeldum cum prædonum turba profligat. Atque is cum in vicinum cæmeterium ac templum Deteranum se reciperet, e vestigio infecutus Otto, ferra flammaque oppugnat, deditumque cum prædonum focis obtruncat. Ea salubri expeditione Frisiam Ecclesiis libertas & securitas est reddita. Id quod VIII Calend. Maji hoc anno factum denarrat Ubbo Emmius in historia Frisiam, scriptor cum ubique satis iniquus in Episcopos, tum id tamen in Ottone laudare necesse habuit. Nam ad id tempus Monasterienses Episcopi eam Frisiam partem, quæ jurisdictionis sacræ a D. Ludgero usque ad eos pervenerat, in eaque supra sedecim Præposituras obtinebant, constantissime semper tutari propugnare.

Sub initium hujus anni Joannes Hojanus Episcopus noster, Ottonis Episcopi frater, deserto Paderbornensi Episcopatu, transit ad Hildesensem. Jam ante a Gerharde de Monte Hildesensium præstantissimo Episcopo, cognatoque suo, adjutor delectus erat, approbante Pontifice; quod eo potissimum consilio fecerat Gerhardus, ut ejusmodi successorem sibi vivus subrogaret, cujus industria, & fortitudine Episcopatum Hildesensem, undique Brunsvicensium Ducum potentia & infestatione circumfessum, suo cæpto propugnari posse confidebat. Nam ut facti eorum memorat, post celebrem illam & cælestem adversus Lunenburgenses victoriam, dicecesin XIX satrapiis amplam, & XII castris præmunitam tenebat. Ad hanc tam nobilem provinciam conservandam delegit Joannem Episcopum, fama rerum apud Paderbornenses gestarum, & bellicæ virtutis laude celebrem. Ipse vero Gerhardus Hildesensium Episcopus anno superiori 14. Novembris, uti Chronici Hildesensis scriptor, Bruschius, & Lesnerus perhibent, gesto in xxxiv annum Episcopatu excessit e vita. Corpus ut vivus jufferat apud Carthusianos, quibus florentissimum viris religiosi Cænobium in suburbio Hildesii intra montem S. Mauricii & urbem construxerat dotaratque, tumulo illatum; cujus ne vestigia quidem post hæresis reliquit; jacentque tanti Præfulis, & tam præclare de suis meriti, ossa modo inter civium olera confepulta ignorataque; quem inter Divos

colere par erat. Nam præter cetera pietatis & religionis opera, quibus vivus inclaruerat, postremos etiam vitæ annos magnam partem inter Monachos ejus Cænobii meditatione rerum cælestium exegit; famamque sanctitatis post funus etiam auxere mortalium encomia.

In hujus Episcopi locum successit Joannes Episcopus noster; gratisque Ordinibus dicecesis nostræ honorifice actis, magno nobilium comitatu deductus est Hildesium; ubi non minori plausu exceptus, collocatusque in folio Episcopi. Sed disparem istic fortunam expertus, qualis plerumque eos sequi solet, qui relicta prima Ecclesiæ Sponsa nobiliorem, ambitu magis, quam boni publici amore, expetunt. Prospera quidem initia; qua enim magnitudine animi Paderbornensis dicecesis hostes, eadem & Fridericum Brunsvicensem Ducem, spoliis & cædibus per Hildesensem agrum grassantem repressit. Armis dein versis in castrum Vreden, e quo jam multis annis dicecesis prædonum insolentia vexata erat, auxiliis Henrici Brunsvicensis oppugnat, ac funditus evertit. Pari armorum successu ab arce Wintzeburgica depulit hostes; adeoque se brevi formidabilem fecit, ut nemo se hostilibus aut prædatoriis armis commoveret. Extremis Episcopatus temporibus oppressus Ducum Brunsvicensium potentia, dicecesin multis debitis oneratam reliquit. Letznerus, alique posterioris chronici scriptores e numero hæreticorum, ut genus illud hominum primum est ad carpandos Episcopos, tradunt Joannem hunc Hojanum turpi se otio & deliciis mulierum corrupendum dedisse, aulamque habuisse earum consortiis plenam, quod ante illum diem insolens fuerit in Hildesensibus Episcopis. Verum hæc manifesta tanti præfulis calumnia apparet, quod in libro statutorum Hildesensium recitetur Joannis epistola sub finem vitæ conscripta, qua testatur se singulis annis exacte synodum dicecesanam celebrasse, ad vitia Cleri emendanda. Et cui verisimile senem se mulierum amoribus permisisse, cui per superiorem vitam nulla hujus vitii macula adhæserit? sane Crantzius virum venerabilem appellat, varia fortuna per xxvi annos jaetatum, cui tamen nullum castrum nulla possessio erepta sit. Atque ut se ac dicecesin servaret, adlegit postremis annis Magnum, Episcopum Caminensem, Ducem Saxonie & Lawenburgii Adjutorem. Ipse anno demum 1424 excessit e vita, Princeps quidem bellicosus, sed Ottone fratre Monasteriensi Episcopo postremis annis bello infelicio-

Crantz. lib. 10 Metrop. c. 40.
Letzner. in M. S. Hist. Ep. Hildes. Chr. Hild. Lesner. in Chron. Dajel. l. 2. c. 15.

Joannes Hojanus Ep. ab Ecclesia Pad. transit ad Hildesensem.
Goselinus Bruschius Xerjensbr. Lesner in M. S. Hist. Ep. Hild. Crantz. lib. 10 Metrop.

Ubbo Em. mius lib. 16. Hist. Fris. Otto Ep. Monast. pacem Ecclesiis Fris. restituit

BERTRANDUS
ITALUS
XXXIV.
EPISCOPUS PADERBORN.

Annus Christi 1399.

*Gobelin.
Anat. 6. c. 85
Brusch. in
Wils. Ep.
Kerjendr. in
Bertrando.
Canonicos
rum suffra-
giis deligi-
tur Ep. Pad.
Wilhelmus
Dux Mon-
tium.*

Haud leviter rursus, post transi-
tum Joannis Hojani ad Episco-
patum Hildesensem, concussa Pader-
bornensis Ecclesia. Ac Canonici Ca-
thedralis Collegii, penes quos jus suf-
fragandi erat, ne illa tempestate dice-
cesin sine rectore diu vacuum relique-
rent, iere in comitium; unaque con-
fensione delegere Wilhelmum Montium
Ducem, Ruperti superioris Episcopi
fratrem, juvenem quidem, ut Gobe-
linus tradit, non multum decimum
octavum annum ætatis supergressum,
sed præclaris naturæ dotibus ornatum,
magnoque familiæ patrocínio innixum;
quò maxime dicecesi consultum vole-
bant. Quam in rem Wilhelmo castrum
novum Neuhufanum, sedem videlicet
Paderbornensium Episcoporum, cum
circumjacentibus Oppidis & locis infra
Teutonicos montes possidendum tra-
didere.

Veram dum Romæ expeditur apud
Bonifacium Pontificem Joannis Hojani
traductio ad Ecclesiam Hildesensem,
innotuit simul Romæ vacare Episcopa-
tum Paderbornensem; ac dum nullus
adhuc sollicitat de Successore Paderbor-
nensis Ecclesiæ, prævertit apud Ponti-
ficem Bertrandus de Arvassanis, Cano-
nicus Ecclesiæ Ravennatensis, natione
Lombardus, patria Ferrariensis, Do-
ctor Decretorum, auditorque in Pala-
tio Apostolico; facileque Romæ, ut
tum insulæ istic dispensabantur, Epi-
scopatam Paderbornensem impetravit,
nescius quam dispari, & longe alio Epi-
scopatus munere in Saxonia, quam in

*Bertrandus
de Arvassa-
nis Italus
Episcopa-
tum Pad. a
summo
Pontifice
impetrat.*

Italia susciperentur. Is igitur magna
spe amplissimi honoris potiundi imple-
tus, in Germaniam properat; delatus-
que Paderbornam, Pontificis literas col-
lati Episcopatus Capitulo & Ordinibus
obtulit. Ac tamen jam Wilhelmus
Dux Montium concordi omnium voce
delectus esset, Bertrandum tamen, quod
multis mirum accidebat, pro venera-
tione Apostolica sedis in urbem xxviii
die Octobris introduci permisere. At
cum nec in palatium Episcopi aditus illi
pateret, nec essent, qui honorifico ho-
spitio exciperent, divertit privati instar
ad ædes Volmari a Brencken Canonici,
a quo benignius, quam a ceteris est ha-
bitus. Id vero cum a Ministerialibus
Ecclesiæ & nobilitate est rescitum, in
Basilicam convenere; collatisque in
unum consiliis, decrevere non alium
quam Wilhelmum Montium Ducem a
Capitulo electum recipere Episcopum,
cui jam fidem dedissent, quam retra-
ctare nolint, nec videre se, quo bono
homo peregrinus & patriæ linguæ igna-
rus cum imperio dicecesi præesse possit;
nisi ut se inani spe fatiget, & omnia in
Episcopatu perturber. Quæ uti inter
ipsos convenerant, ita Bertrando per
interpretem, quod Teutonicæ linguæ
ignarus esset, renunciari jubent.
At non his statim deterritus Bertrandus,
ad Pontificem, a quo Episcopus præ-
stitutus sit, appellat, & pro Apostoli-
ci Legati munere, quo se præditum di-
cebat, Præsules, & Canonicos anathe-
matis sententia percellit. Deinde a Se-
nato populoque Paderbornensi jura-
mentum fidei postulavit, ratus si urbem
sibi

*Introduc-
tor in un-
dem Pad.*

*Rejicitur a
Nobilitate.*

*Juramentum fidei
tatis frustra
a civitate
Pad. exigit.*

*Urbe exce-
dit.*

fibi conjungeret, cetera prona fore. Consules vero ac cives, ne quid hic temere agerent, de die in diem differabant responsum; cumque sollicitati a Bertrando, consulendo rogarent Canonicos, quid sibi factu opus esset, respondere Canonici, se fecisse quod sui est muneris, ipsi quæ sui sint officii secum expenderent. Quo responso, quod nec juramentum probarent, nec dissuaderent, cives quoque ambiguos reliquere. Quanquam satis indicarent, quid a se fieri vellent; quando pro veteri more nunquam civitati permissum juramentum sine Capituli voluntate dicere electo Episcopo. Bertrandus ubi se per ambages circumduci vidit, nec tantum omnium animos a se averfos, sed & in presenti se periculo versari, ne qua publica injuria tractatus ejiceretur, sibi literas publica securitatis & protectionis petiit a Magistratu. Quibus acceptis, xxiv Novembris clam sese ex urbe subduxit, unius tantum mensis in urbe Episcopus. Nec tamen defutere ex Paderbornensibus, qui sincere ejus partes suscipere. Nam postquam urbe egressus, in patentem campum pervenit, occurrere equites, qui odio Wilhelmi Episcopi benigne exceperunt, armataque manu in castrum Dringenberg deduxerunt, tanquam istic Bertrando pedem & possessionem firmaturus. Hujus factionis auctor Hermannus Comes Everstenius, se Bertrando in ipso castro socium & hospitem junxit, omnem annonam largè e suis subministrando, quod ab eo administrationem totius dicecesis promissam haberet. Hæsit igitur in castro Dringenberg Bertrandus aliquamdiu, ex eoque nunc publicis literis per Dicecesin vulgatis, nunc tractatione partium instituta, nunc Pontificis minis & patrocinio causam suam constanter egit. Nihil his moti Ordines; qui jam Wilhelmum alterum Episcopum in ca-

strum Neuhufanum introductum sibi presentem habebant, quocum consilia ex promissa fide communicabant; atque ut litibus finem potentius imponerent, positis infidiis Bertrandum in castro Dringenberg intercipiunt, captumque, nullo Oppidanorum obsistente, Neuhufanum abducunt; id quod Everstenio Comiti etiam dissimulandum fuit, postquam didicit, frustra se contra omnium ordinum conspirationem obniti, eademque quæ a Bertrando promissa erant, se a Wilhelmo Episcopo consecuturum. Hæc Gobelinus noster præfens tum rerum inspector scriptorque hoc anno acta tradit.

Refert idem auctor pari per id tempus diffidio pugnatum esse inter Corbeiensis; quam ob causam reliquæ D. Viti Martyris Corbeia Lipspringam deportatae sunt, depositæque sub patrocinio Wilhelmi Episcopi. Atque isticum per septem menses consisterent, magna hominum undique confluentium pietate ac religione ad xiii diem Junii cultæ sunt; a quo anni tempore Corbeiam reducta fuere. Gobelinus, qui hæc narrat, causam translationis retulit ad diffidium, quod inter Abbatem & Monachos intervenit. Monumenta Corbeiensium inspeximus, schisma inter duos electos Abbates producit. Nam anno Mcccxcvii Arnoldus Wolfius, ut supra diximus ex consignatis a se tabulis Abbas ostenditur; altero post anno Willebrandus ab Haltermond Abbatis nomine literas diversas ad annum mcccvi obsignavit: alteroque rursus anno Arnoldus simul & Willebrandus Abbates reperiuntur consignati. Et ille Willebrandus Abbas, qui anno 1406 Ottoni Ritbergensi in Mindensi Episcopatu subrogatus, a quo tempore illi Theodoricus successerit, cujus exinde nomen in multis tabulis consignatum reperitur.

Ex castro Dringenbergensi captivus abducitur Neuhufanum.

Diffidium Corbeien-
se; ob quod
reliquæ S.
Viti Corbe-
ia transfe-
runtur Lip-
springam.

Diffidium
Corbeien-
se; ob quod
reliquæ S.
Viti Corbe-
ia transfe-
runtur Lip-
springam.





WILHELMUS DUX MONTIUM XXXV. EPISCOP. PADERBORN.

Annus Christi 1400.

Bonifacii IX Pont. II. Ruperti Imp. I.
Bertrandus & Wilhelmus disceptantes Ep. Pad.

Annum dehinc millesimum quadringentesimum ingredimur, quo duos simul Episcopos Paderbornensis Ecclesia habuit, Wilhelmum a Collegio Cathedrali electum, & Bertrandum a Pontifice nominatum. Ec hunc quidem captum in arce Neuhufana in libera custodia habuerunt; ex qua tamen non minus quam ante causam suam egit apud Pontificem adversus Wilhelmum, & Cathedralis Ecclesiae Canonicos. Nec remissius Canonici, appellando ad Sedem Apostolicam, pro Wilhelmo abs se delecto Episcopo egere. Et vero quia Bertrandus pro Apostolici Legati auctoritate anathematis vinculo illigarat Canonicos, illi haud multo post rem eo deduxere, ut a peccatis Ecclesiasticis absolventur. Haec vero, uti acta sint, hoc Bertrandi scriptum testabitur.

Bertrandus causam suam egit apud Pontificem.

Canonicos sententia anathematis absolvit.

Bertrandus Dei & Apostolicae Sedis gratia Electus Ecclesiae Paderbornensis universis & singulis beneficiatis, curatis, & non curatis, per civitatem & diocesim Paderbornensem constitutis, & aliis nobis subjectis salutem in Domino. Noveritis quod nos dudum, anno Nativitatis Domini millesimo quadringentesimo, die ultimo mensis Januarii, certos processus & mandata contra honorabiles viros, Dominos Rolandum de Lustringen Decanum, Joannem de Wintzingerode Camerarium, Bertholdum Bescelini Thesaurarium, Rodol-

phum de Wintzingerode Scholasticum, Hildebrandum de Uffeln, Henricum Westphaelensem, Thidericum Junge, Joannem de Innungbusen, & Widenkindum Speigel, & alios, quos praesens tangebatur negotium communiter & divisim, emisimus, in quibus eosdem requisivimus, & monuimus, quatenus infra sex dierum spatium juxta morem suum dicerent Proconsulibus & Consulibus Paderbornensibus, quod Nobis ut Episcopo Paderbornensi debitam facerent obedientiam, & honorificentiam, & alia Nobis observarent, prout nostris praedecessoribus & antecessoribus fecerunt, & infra XII dies castrum Niebus, & alia quaecunque, per Nobilem Domicellum Wilhelmum Ducem de Monte occupata, ad Nos & nostram mensam Paderbornensem spectantia, juxta formam ejusdem litterae super hoc editae, & apud eos depositae, cujus etiam copiam postulavimus, quoniam eam habere nostra etiam interest, in quantum in eis esset, repeterent eum effectu, eamque Nobis sincere assignari facerent, &c. Deinde vero matura deliberatione praehabita, ex certis & rationabilibus causis animum nostrum ad hoc moventibus, sponte & libere praefatos Dominos, & eorum quemlibet a sententia excommunicationis pro tribunali sedentes absolvimus, sententias etiam suspensionis in Capitulum, & interdicti in Ecclesiam Paderbornensem per nos latas, post dictas appellationes relaxamus. Et quae deinde multis in

hoc

Hist. Thuring. Tribem. in Corau. Spano. Michel. 410r. C. 10p. 70. Chron. 1. 10. Saxon. 1. 10. 106d. a Nam. Chron. M. Belg. Raynaldus in hislor. Eclis. Hoyer. 66. 18. Annal. Trev. Spangeb. in Claven. Thuring. Kithom. in not. ad Lirbeck. Dilich. in Chron. Hass. terrar. in hist. Mog. Plures Principes & comitis Francofurt. reduces a

hoc scripto exponuntur. *Actum in civitate Paderbornensi, in domo habitationis Honorabilis viri Domini Conradi Thus, Officialis curie nostrae, sub anno Domini Mcccc primo. Indictione ix die ultima mensis Januarii, Pontificatus Ssmi in Christo Patris & Domini nostri Bonifacii divina providentia Papae noni anno duodecimo, Presentibus discretis viris Domino Conrado Thus, & religioso viro Domino Joanne de Herne Professo Monasterii M. Munster Ordinis S. Benedicti, & Conrado Berbonclerico Paderbornensis diocesis testibus.*

Literæ hæc per tres Paderbornensis diocesis clericos Notarios Bertholdum Coyc, Joannem Pistoris, & Joannem Hymdael subscriptæ, & consignatæ, addito Bertrandi insigni, quod quatuor rosis decussato in scuto expressum. Inscriptio vero hæc circumposita. *Sig. Bertrandi Episcopi a Bonifacio nono electi Paderborn.* Magna exinde per hunc annum contentione res utrimque acta Romæ in judicio Pontificis; dum postremum Pontifex, pacis quietisque studio, Wilhelmi electionem haberet ratam, & Bertrandum revocaret in Italiam.

Tandem & hoc anno Principes Imperii, hortante Bonifacio Pontifice, & in hanc quoque rem jubilæum promulgante, serio de exactorando Wenceslao consilia agitarunt. Quam in rem primum mense Majo, ut Gobelinus noster tradit certus eorum temporum scriptor, Francofurti convenere. Quo in comitio etiam multa pro incolumitate Imperii constituta sint, tractatumque etiam de electione novi Regis; nihil tamen de certo novoque Rege convenit. Luctuosus interim ab hoc reditus Principum. Accesserant inter reliquos proceres Francofurtum Fridericus Dux Brunswicensis; ejusque germanus frater Bernardus, Rudolphus Dux Saxonie; Conradus Soltovius Episcopus Verdenfis, Sigismundus Anhaltius, nobiles de Barbei, Honstein, & Schwartzenberg. Hi cum uno comitatu per diocesis Moguntinam redirent in provincias suas, incidere prope Frislarium in prædonum cohortes; quorum Duces Henricus Waldecensis Comes & Padbergii castrenses memorantur a Lerbeckio. Hi ubi tam lautam sibi prædam oblatam conspexere, nihil veriti tot

Principum veneranda capita & majestatem, facto uno furoris impetu hostiliter incurrun. Interemptus e vestigio Fridericus Dux Brunswicensis; capti spoliatique Episcopus Verdenfis, Dux Saxonie, Bernardus Dux Brunswicensis; ceteri aut cæsi, aut manul captivi abducti. Anhaltius diu multumque fortiter pugnando per cædes aliquot fuga tandem elapsus est. Sed deplorata cum primis Friderici Ducis Brunswicensis cædes, egregii inter Saxones Principis, qui in hoc conventu multorum judicis etiam Cæsar designatus fertur. Id flagitium cum ad Fritzlarium, Moguntinæ diocesis oppidum, patratum, & Henricus Comes Waldecensis, prædonum ductor, advocatus Moguntini Archiepiscopi in Rosteburg esset, Joannes Nassovius Moguntinus Archiepiscopus ac Metropolitanus noster in suspicionem compositæ cædis venit; & quia Gobelinus tradit, Waldecensem purgandi causâ factum esse, se id ex mandato Archiepiscopi fecisse, Cuspinianus, Dilichius, Spangenbergius, Meibomius, Sethus Calvinus, ceterique heretodoxorum scriptores, odio in Episcopos, magnopere id crimen exaggerant in Moguntino Archiepiscopo, haud veriti eam labem illustri Nassoviorum familia aspergere. Verum cum Archiepiscopus, ut idem Gobelinus scribit, postulatus in judicium Principum id factum negavit, coramque se apud Principes Marburgi purgavit, se nec auctorem, nec conscium quidem istius cædis esse, publico judicio innocens pronuntiatus est. Serrarius multis hanc innocentiam Nassovii Archiepiscopi comonstrat; quam in rem etiam producit ipsius Henrici Waldecensis literas, hoc eodem anno Frislarie Dominica ab evoluto festo Apostolorum Petri & Pauli datas, & publice recitatas, quibus Archiepiscopum Moguntinum culpa absolvit; quippe, qui nec auctor, nec conscius hujus facinoris fuerit; id quod juramento ab ipso etiam Waldecensi comprobatum. Post vero cum Brunswicenses ob eadem Friderici Ducis diocesis Moguntinam ferro, incendiis, & cædibus evastarent, Rupertus Imperator anno 1403 palam Norimbergæ in comitiis Principum Moguntinum Archiepiscopum innocentem declaravit. Id potius hic requirendum, cur præter unum ex his prædonibus & Sica-

prædonibus partim capiuntur partim perimuntur.

Eorum cædes falso Archiepiscopo Moguntino adscripta.

telonum

telonum

Hist. Thuring. Tribem. in Chron. Spanh. Gobel. a. 1401. 6. cap. 70. Grantz. l. 10. Saxon. c. 19. ibid. a Niem. Chron. M. Belg. Reynaldus in histor. Euseb. in v. v. v. lib. 18. Annal. Trev. Spangeb. in Chron. Thuring. Mithem. in not. ad Lerbeck. Dilich. in Chron. Hist. terrar. in histor. Mog. Plures Principes e comitiis Francofurti rediunt a

Sicariis in rotam actam, a ceteris nulla multa suppliciumque exactum sit: mirum quia ea prædonum nobiliumque licentia erat, ut ipsa Saxonia ad veterem barbariem reditura videretur.

Igitur cum in hunc modum sub ignavo Cæsare Wenceslao, simulacro Principis, omnia, prædonum, latronum & civilium bellorum per Imperium effreni licentia, quotidie in pejus ruerent, nullisque consiliis ac monitis ad sanioerem mentem revocari posset Wenceslaus; Principes denuo mense Augusto in villa Rhensia, deinde in loco, qui Lonsteinium & Brubachium ulteriori ripa interjacet, convenere in comitium.

Aderant e Septemviris quatuor, Johannes Naffovius Moguntinus, Fridericus Colonienfis, Wernerus Trevirensis, Archiepiscopi, & Rupertus Palatinus: Saxo & Brandeburgicus evocati, quod Wenceslao devincti essent, dissimulavere. Ibi ergo, postquam consulti Pontificis voluntas non aliena accessisset, in celebri ceterorum Principum congressu omnium iudicio Wenceslaus dejectus ab Imperii gubernatione. Pronunciavitque Moguntinus 20 Augusti ex edito loco sententiam exauctorationis, qua nota fedaque ejus simul vitia & crimina, præter ea, quæ a Trithemio, Culpiniano, auctore Chronicæ Belgii, aliisque scriptoribus prodita sunt, recitantur: interque sex Notarios publicos, qui decretum illud consignavere, refertur etiam Conradus a Leiborn Clericus Paderbornensis.

Has igitur ob causas Rupertum, Ducem Bavarie, Comitem Palatinum Rheni, cognomento parvum, Romanorum Regem dixere; virum religione egregium, ut Trithemius scribit, acri ingenio, cleri studiosum, pauperum defensorem, justitiæ amantem, armis strenuum, & quod nostra etiam contingit, Ruperti & Wilhelmi Episcoporum nostrorum avunculum, qui forore ejus Anna Palatina geniti erant, eoque dicecesis nostra magnum simul hoc novo Cæsare patronum sortita est.

Mense Septembri rursus Principes Imperii cum novo suo Ruperto Rege alium conventum celebravere apud

Boppardiam; in quo solemnî ritu Rupertum Regem Romanorum creatum, & Francofurti coronatum narrat Gobelinus noster. Post hoc, inquit, Principes circa Rhenum prope Boppardiam convenerunt, & ibi elegerunt Regem Romanorum Ducem de Bavaria & de Heidelberg, virum armis strenuum, consiliis acutum, & Deo devotum. Is deinde juxta Oppidum Francofurti, tentorius in campo fixis una cum Principibus per septimanas & dies, prout electis ad regnum moris est, sub dio moram traxit, & postea idem Oppidum cum gaudio plausuque populi intravit. Auctor historiæ Thuringiæ tradit Regem per sex hebdomadas Francofurti obfessum; quibus finitis, prima corona decoratum esse, altera deinde Colonie insignitum. Neque hic prætermittendum, quod Juvenalis Urinus scribit, Regem Galliarum post exauctoratum Wenceslaum per Legatos ad Germaniæ Principes missos petisse, uti agerent de Bonifacio Pontifice, & eo, qui Avenione Pseudopontifex residebat, abrogandis, in quorum locum tertius eligeretur; & a Germanis non aliud responsum tulisse, quam eo scelere nolle se gentemque suam obstringere, ut verum Christi vicarium e gradu & folio deicerent; sed hoc Galli potius agerent, ut ex schismate in Ecclesiæ concordiam redirent. Præclarum Ruperti sub ipsis regni auspiciis, & Germanæ gentis nostræ factum, immortalique gloria dignum. Qua constantia si in Apostolica Sedis fide cultuque persistissent Saxonæ & Germani, nunquam Lutheri hæresis altero abhinc seculo aviam majorum religionem Germaniamque tanto probro nationis nostræ discerpisset,

Sed ejus mali initium hoc sæculo primum per Bohemiam, quæ Wenceslao exauctorato relicta est; in qua cum ipse, ut Aeneas Sylvius scribit, vino ciboque marcescens, dormiendo dies nocti conjungeret, neque ullo sanæ mentis consilio regni, ut in Imperio fecerat, gubernationem susciperet, turbavit florentissimam Pragæ Academiæ. Seductus enim a Joanne Hus aliisque Bohemis, Germanos Professores, qui in ea Academia eminebant, spoliavit supremis Scholasticorum honoribus & magistratu; quibus illi offensi, Praga discessere: unoque die secum

Nova apud Boppardiam Comitum

Germani nolunt consentire Gallis in abrogando Bonifacio Pont.

Archiepiscopi Colon. studium pro conservandis Clericis disciplina. Claisberg. Liber statum Colon.

Otonis Ep. Monast. bellum Marcianis & Comitibus Teutoburgico

Wenceslao R. exauctoratio.

Rupertus Dux Bavarie Cæsar renunciat.

Wenceslao Germanos Professores ex Academia Pragæ pellit, & Hussitarum hæresin extinguere negligit.

cum quinque millia studiosorum adolescentum traxere Lipsiam ad novam studiorum palæstram. Inde cum omnia in Bohemorum Professorum potestate essent, Joannes Hufs, qui jam lectis Wiclefi libris corruptus erat, hæresin Wiclefi, quæ in Anglia jam compressa & extincta erat, resuscitavit Pragæ, sparfitque, tanto regni malo, & tot bellorum turbis per Bohemiam, Wenceslao Rege, alium, ut hætenus fecerat, sterrente. Ac licet a Subincone, egregio Pragensium Archiepiscopo, sæpius moneretur, malum in fomite extingueret; ille tamen libere per urbem & regna debacchari permisit, major etiam regni sui quam Imperii turbator. Eo nunc felicior Germania Ruperto Cæsare suo, quem Germaniæ Principes sine ullo ambitu, aut regnandi ambitione, quod hætenus rarum fuit, incredibili omnium concordia susceperat.

Has inter publicas Imperii curas occupationesque non ita se abstrahi passus Fridericus Colonienfis, quin universam dicecesin suam, tum per se, tum per alios præfules perlustraret. In spectis cleri, & populi moribus, mense Decembri celebrem totius cleri synodum convocavit; in qua veteres synodorum leges instauratæ, & novæ pro formanda disciplina conditæ: quemadmodum hæc codex statutorum Colonensium edidit. Nihil hac tempestate tam mutuantis sæculi difficilius Episcopis, quam Clerum in veteri disciplina continere, & simul diceceses ab injuriis vicinorum Principum, & prædonum rapacitate armis tueri.

Et licet Colonienfi Archiepiscopo, aliisque per Westphaliam Episcopis ab his malis aliqua quies esset; non tamen ea Ottoni Monasteriensi Episcopo concessa: cui hoc anno duplex bellum fuit, alterum cum Marcianis, alterum cum Teclenburgico. Facta per Luppiam excursionem, irruerant Marciani in dicecesin Monasteriensem, nullis injuriis lacessiti; & quæ tamen prædandi licentia erat, Oppidum Wernam haud procul a Luppia flumine oppugnant, captumque spoliant, & incendunt. Otto, qui ad hæc semper expeditus & interritus erat, eodem quo Oppidum ardere visum est die, cum equestri militia an-

te Oppidum adstat, hostesque per cædes trans fluvium rejicit, extinctisque ignibus vastata reparat; & quo frenum Marcianis imponeret, novum illic munimentum erigit, militemque imponit, cui eadem per Marchiam prædandi licentia esse poterat; jamque Marchiæ imminabat, contractis undique ex dicecesi copiis; cum Marciani se ad conditiones pacis ulro offerunt; quod cum tanto bellatore sibi negotium esse nolent; quas eo pronius admisit Otto, quo incitatus ferebatur ad Nicolaum Teclenburgensem Comitem perdomandum, hominem ferocem, & dicecesi Monasteriensi Osnabrugensique a multis annis infestissimum. Is quia nuper mulctatus ab Ottone, Cloppenburchum & Oitam amiserat, urebatur dolore & vindicta. Ac postquam interea duxit Theodorici Morsæ Comitis filiam, neprem Friderici Colonienfis Archiepiscopi, inflatus connubio, iras & arma in Ottonem repetit, vastando pagos, abducendo pecora incolarum, captivos trahendo homines in munitissimam Teclenburgensem arcem. Quibus commotus Otto, fœdus renovat cum Theodorico Osnabrugensi Episcopo: novum deinde fœdus contrahit cum Bernardo Lunenburgensi Duce, cum Hojanis, Schawenburgico, Homburgensi, Comitibus, & cum aliis proceribus. Horum viribus confirmatus, mense Augusto Bevergernam arcem obsidet, & post quartum diem expugnat. Inde Lingam aggressus, pari armorum successu in potestatem accipit. Demum & ipsam Teclenburgensem arcem circumvallat. Risit ad hæc Comes, cum dicerio etiam jactans, quid in atrita illa penula Episcopus arcem hanc meam sperat occupare? cui Episcopus renunciari jussit, tam diu se arcem circumsurum, dum Comes illi novam togam compareret: & fidem dicto præstitit Otto. Nam Comitem ita obsidione arctavit, ut se deditum offerret ad arbitrium Episcopi. Quod ea lege admisit Episcopus (siquidem serio hæc sine dolo peteret) uti se Monasterii in urbe festo Crispini & Crispiniani sisteret in judicio; ibi disceptata ejus causa, auditorum quid ex æquo ob tot damna dicecesi illata postulaturi sint Monasterienses & Osnabrugenses. Accessit Comes, veritus ne omnium castrorum bonorumque jacturam faceret, urgente utro-

Comes Teclenburgicus devictus ad reparatio- nem damno- rem adi- gitur.

Nova apud Boppardiam Comitum

Germani nolunt consentire Gallis in abrogando Bonifacio Pont.

Archiepiscopi Coloniae studiosorum pro conservanda Cleri disciplina. Clainforger. Liber Historiarum Coloniae

Wenceslao Germanos Professores Academiae Pragensis pellit, & Hussitarum hæresin extinguere negligit.

Otonis Episcopi Monasterii bellum cum Marcianis & Comitibus Teclenburgico

utroque victore Episcopo Ottone & Theodorico. Tum vero convocato per utrumque Episcopum tam præfulum sacrorum, quam procerum ac nobilium conventu, introductus est Comes in iudicium. Confeditque pro tribunali Arnoldus Bischoppingius iudex. Ac primum instituta est actio de controverſiis, quæ inter ipsum & Episcopum hæctenus agitatae sunt; palamque convictus Comes, necesse habuit omne jus, quod hæctenus obtenderat in Cænobio Leisbornense, Marienfeldense, Freckenhorstense, Claholtanum, eorumque ministros, villas, & subjectos homines, quodque in regione trans Amasim in arcem Bredevordiam aliaque castra sibi vendicarat, renunciare. Atque ea ut apud hæredes ejus & posteros rata haberentur, confectæ sunt a Bischoppingio iudice tabulæ, easque primum Nicolaus Comes, & tum præſentes iudicii testes, Theodoricus Episcopus Osnabrugensis, Bernardus Comes Bentheimensis, Arnoldus de Gutterswich, Menſo Brechufius Decanus, Lubbertus de Rodenberg Vicedominus, Adolphus de Lembeck Cellerarius, Hermannus de Munster & Hermannus de Kepel Canonici Ecclesiæ Monasteriensis, Heidenricus de Sasse, Bernardus de Droſte, Alberti filius, Hermannus de Merveld, Amelungus de Warendorp, Hermannus Korſ Everhardi filius, Henricus de Oer, Gerhardus Keppelius, Joannes Halliwat Armigeri, & alii honorati viri, anno M. cccc, ipſo die Crispini & Crispiniani Martyrum conſignavere.

Alera actio instituta est de compensatione damnorum, a Comite & majoribus diœceſi illatorum, quæ his tabulis a nullo Scriptore hæctenus productis confectæ est.

Nos Nicolaus Comes Teclenburgensis notum facimus omnibus hæcce literas vel lecturis vel audituris, & palam profiteremur, nostro & omnium hæredum nomine, nos in voluntariam compensationem damnorum, quæ a nobis & majoribus nostris ex arce Teclenburgensi ac nostro territorio per prædas, incendia & cædes, exactiones, aliasque injurias diœceſi Monasteriensis illatae sunt, cedere, dare, & perpetuum transcribere venerabili in Christo Patri ac Domino

Ottoni Episcopo Monasteriensis ejusque Successoribus, primo dominium, præfecturam, & castrum Cloppenborg, castrum, & civitatem Oitam, castrum Schneppenberg cum omnibus horum locorum iudiciis, incolis, feudis, sylvis, jure venandi, piscinis, pratis, & quæcunque possedimus in parochia Oieta, Crappendorp, Lastrop, Estene, Loningen, Linbarden, Melburgen, Linderen, ac tota præfectura Cloppenburgenſi & Oietenſi. Secundo cedimus, damus, & transcribimus omnia jura, dominia, incolas, feuda, census, piscinas, sylvas, & loca, quæ nos & majores nostri habere in Embslandia per Humelingam. Tertio cedimus, damus, & transcribimus castrum, præfecturam, & Oppidum Bevergernam cum omni dominio, iudiciis, agris, incolis, feudis, sylvis, pascuis, cæterisque bonis, quæ nos & majores nostri possidere in parochia Bevergernæ, Risenbeck, Sorbecke, Greven, Hembergen, Detten & Rennen; mediam quoque partem parochiæ Schapen, & quidquid majores habuerunt in Cænobio & parochia Gravenhorſt, ac tribus circumjacentibus sylvis. Hæc omnia nos Nicolaus Comes Teclenburgensis ita in perpetuum cessimus Episcopo Monasteriensis & Successoribus ejus, ut neque Nos, neque hæredes nostri jus repetendi habeant, aut ullam hæc super re injuriam, aut molestiam diœceſi Monasteriensis inferre debeant: sicuti hæc inter nos sine omni dolo in utroque tam Ecclesiastico quam seculari iudicio transacta sunt, & Nos juramento & sigillo nostro confirmavimus. Acta hæc sunt anno Mcccc, festo Crispini & Crispiniani Martyrum coram Arnolſo Bischoppingio iudice Monasteriensis. Testes Theodoricus Episcopus Osnabrugensis, iidemque qui supra ex prima tabula relati sunt.

Hunc in modum etiam transactum est inter Comitem Teclenburgicum, & Theodoricum Osnabrugensem Episcopum; quemadmodum Ertwinus in suo Chronico paucis percenset, actaque hæc refert eodem anno & die Crispini & Crispiniani Martyrum, Monasterii, sententiam pronunciantem iudice eodem Arnolſo Bischoppingio: testes sinit Ottonem Episcopum Monasteriensem, eosdemque, quos supra recitavimus, addito tantum Hermanno Bilderbeck, e ve-

Otto Ep.
Monast.
Diœceſin
ſuum, ad
ditiis novis
præfectu-
ris, auget.

Chron.
Monast.
Littere P.P.
ad fontem
ſalient.
Morus
in Chron.
Chron.
Winstien.
Thom. a
Kemp.
in Chron.
Meur.
S. Agnetis.
Congrega-
tio Sacerdo-
rum in
commune
vivendum,
auctore
Henrico
Abuſio,
Monasterii
conditur.

e veteri equestrum Bilderbeckiorum familia. Jussusque inter cetera Comes jurare, se omnia jura Ecclesiae, omnemque libertatem Ecclesiasticam Episcopo Osnabrugensi in posterum inviolatam relicturum.

Tandem ferox & turbulentus Comes tot bonis multatus quievit. Ex quibus nemo felicior Ottone Monasteriensi Episcopo, qui & justo bello, & aqua praedarum compensatione, in publico judicio adjudicata, mirifice auxit dioecesis suae patrimonium. Et quam Embslandiam, Meppensi & Vechtensi praefectura, ex parte tenebat: eam addita Cloppenbergeni Satrapia, & tractu Humilingiae, vasto terrarum spatio ad fines usque Frisiae exporxit; totamque exinde Embslandiam, qua altera dioecesis Monasteriensis pars continetur, adjecit. Saepem demirari subiit plerosque per Saxoniam horum temporum Episcopos, quos video ferventius pro Ecclesia sua, quam civiles Principes pro familia sua amplificanda decernisse. Quo in genere summam fere laudem occupant Monasterienses Episcopi, acerrimi Ecclesiae suae propugnatores.

Caepit & hoc anno, sub Ottone Episcopo, Henricus Ahufius congregationem Sacerdotum in commune viventium Monasterii in urbe condere, magno totius cleri & patriae bono. Natus is erat patre Ludolpho Ahufio, cive Monasteriensi honesto & opulento, anno 1370. Inde a puero literis excultus, & sacerdotium in Cathedrali Ecclesia adeptus, transiit se Daventriam, fama Gerhardi Magni & Florentii presbyteri excitatus; quibus cum se in disciplinam aliquamdiu dedisset, rediit Monasterium, & quinto sacerdotii sui anno aggressus est ad pomeria urbis, loco, quem ad Fontem Salientem appellant, sacellum & domicilium construere: Sacerdotes colligere in communis vitae societatem: omnia conformare ad eum modum, quo Daventriae, & per Hollandiam & Belgium institutum illud auctore Gerardo M. & Florentio, atque in ipsa dioecesi Monasterii ad Northornam Oppidum in congregatione Frenswedenfi florere conspexerat. Id salutare consilium atque opus cum religiosissimo viro, multorum Sacerdotum & Clericorum accessu, feliciter succe-

deret, templum etiam & Collegium erigere cepit; constitutaque illic Sacerdotum congregatione, Coloniam profectus est ad S. Pantaleonem; & super latum rivum aede sacra erecta, alteram Sacerdotum congregationem; ac deinde Westphalam digressus, tertium instituit. Inde Monasterium regressus ad suos, omnibus facultatibus paternae hereditatis in Collegii sui patrimonium conversis, sanctissimam inter suos vitam egit. Demum ad Constantiense concilium profectus, adversus obrectatores instituti hujus, quod ad primam Cleri Apostolici formam instauratum erat, confirmationem a Patribus Concilii impetravit: adjuvante cum primis Joanne Gersone, Cancellario Parisiensi. Institutum deinde ipsum Martino V, Eugenio IV, aliisque Pontificibus comprobatum. Uti vero Sacerdotes illi divisi, alii religiosam Canonicorum vitam amplexi sint, alii Clericorum Apostolicorum in modum vitam communem a Gerardo M. & Florentio praescriptam sectari perrexerint, multis exponit Buchsius in Chronico Windesheimensi.

Quanto vero Ecclesiae bono hoc vitae genus, Sacerdotum ac Clericorum in communi societate viventium, hac tempestate, cum disciplina Cleri multum dissipata esset, reflorescere cepit, satis praeter cetera testati sunt Cardinales & Patres Concilii Constantiensis. Nam postquam Constantiam advenerunt, admisi sunt in conspectum Cardinalium Joannes de Huesden Prior Windesheimensis, Joannes de Wael Prior Monasterii Swolienensis, & Henricus Ahufius Prior congregationis Monasterienses, una omnium vox fuit; *Isti sunt vere Patres religiosi, quos dudum videre & audire desideravimus*; auditique, cum magno gaudio & veneratione ducti sunt ad sua hospitia. Horum piorum Sacerdotum exemplo, multa per Belgium, Frisiam, Hollandiam, & Westphalam Virgines sese dedere in simile vitae institutum, quae illis congregationes juxta normam D. Augustini praescriptae fuere. Alteroque post anno, quo Henricus Ahufianus Monasterii suam congregationem exorsus, caepere & Virgines Nissinganae in urbe Monasteriensi caetum colligere; evocataeque Virgines Schuttordio, ubi jam earum florebat congregatio, Monasterium, a

U u

qui-

Otto Ep.
Monast.
Dioecesis
suum, ad
dicia novis
praefectura
is, auget.

Chron.
Monast.
Littera PP.
ad fontem
salientem.
Mirus
in Chron.
Chron.
Windesheim.
Thom. a
Kemp.
in Chron.
Mant.
S. Augustini.
Congrega-
tio Sacerdo-
rum in
commune
viventium,
auctore
Henrico
Ahufio,
Monasterii
conditur.

Inchoan-
tur Congre-
gationes
Virginum
in commu-
ne viventium.

quibus vitæ ratio illis tradita est. Ac mirifice deinde harum Virginum per dicecesin Monasteriensis non solum in urbe, sed & Bucholdiæ, Borckenæ, Coesfeldiæ, Dulmaniæ, Bechemii, Alenæ, Vechtæ, aliisque in locis propagatae sunt. Ac pleræque fere tenuioris fortunæ Virgines, quæ nendo texendoque, & diurno nocturnoque labore manuum, victum sibi comparabant; hoc se felices reputabant, quod separatae a

confortio profanorum hominum, Deo in communi cœtu servire possent. Ita vero divina providentia, cum per Cœnobio & Clerum disciplina religiosa in-teperat, hæc Sacerdotum & piarum Virginum Collegia novo reparatae religionis spiritu instituit. A quibus deinde Episcopis nostris Patres hujus congregationis in nostram dicecesin introducti sunt, temporari memorabitur.

Annus Christi 1401.

Bonifacii IX. Pont. 12. Ruperti Cæs. 2.

Wilhelmi Ep. Pad. 1.

Accessit per hæc annus sæculi decimi quinti primus, sub cujus ingressum Rupertus Cæsar magno procerum ac nobilium comitatu secundo Rheno descendit Aquisgranum, imperiali corona decorandus. Interque Electores & Principes Regem deduxere Joannes Moguntinus, & Wernerus Trevirensis Archiepiscopi, Stephanus Dux Bojariæ, Hermannus Hassiæ Landgravius, Wilhelmus præterea Dux Montium cum Adolpho & Wilhelmo Episcopo nostro filiis, Ruperti consanguineis. Denunciavit quidem Rex Aquisgranensibus, uti ad celebritatem hanc omnia mature pararent; verum quod se in fide Wenceslai Regis adhuc esse dicerent, conieciti a Wilhelmo Gelriæ & Juliæ Duce, Gallicæ factionis studioso, ingressum in urbem Cæsari denegarunt. Quo offensus Cæsar Coloniam deflexit; effusaque obviam civitate, a senatu ingenti gratulatione excipitur. Qua in urbe a Friderico Colonienfi Archiepiscopo consuetis caremoniis inter Missæ solemnia, quæ in Basilica agebantur, coronatus est. Ac memorabile de religiosissimo Cæsare, quod sacro Diaconi habitu indutus Evangelium ejus diei de tribus Regibus modulata voce cecinerit. Aquisgranenses mox ex Principum judicio inter perduelles proscripti a Cæsare, & omni direptioni permitti, meritas poenas dedere.

venere Roma a Bonifacio Pontifice Apostolica literæ, quibus Wilhelmus Paderbornensis Ecclesiæ, rejecto Bertrando, Episcopus constituebatur. Quibus ad Collegium Cathedrale & ordines relatis, expositisque, Wilhelmus omnium consensu & gratulatione admissus est ad possessionem. Jam ante Bertrandus, ut Gobelinus scribit, cum videret, quam adversos omnium ordinum animos haberet, quamque implicatam & invisam gubernationem homo peregrinæ gentis, & patrii idiomatis ignarus, esse fortiturus, literas manu sua scriptas dederat ad Sedem Apostolicam, quibus Wilhelmi causam in subrogando sibi Episcopo, utroque se ad abdicationem muneris obtulit. Quare duobus equis & xx florenis a Capitulo donatis, repetito in Italiam itinere, e dicecesi remigravit; iussus tamen prius, tabulis juramento confirmatis, palam omne jus in Episcopatum Paderbornensem renunciare. Ægre enim Saxones, gens libera, alinæ nationis Episcopos ac Principes sibi imponi sunt passi; seu quod lingua, & moribus diversi, parum ejusmodi Episcopi utiles essent (quemadmodum in Pothone, homine Bohemo, Monasteriensibus obrufo comprobatur erat) seu quod factus nobilitatis ex ignobili genere non amplius ferret Principes creatos: seu quod conturbata bellorum tempora Principem ex militari sago potius, familiæque potentia innixum, quam ex toga Episcopum deposcerent; postquam Cæsarem auctoritas (sub quorum clypeo prisca Episcopi tuta erant) & prisca hominum pietas multum defecerat. Quamquam collapsa Cleri populique disciplina maturum gravemque moribus, & doctri-

Trithem.
in Chron.
Spanheim.
Gobel. etat.
6. c. 70.
Chron. M.
Belgii.
Chron.
Colon.
Hist. v.
Thuring.
Eravver.
lib. 18.
Annal.
Trevir.

Rupertus
Cæsar Co-
loniæ coro-
natur.

Gobel. etat.
6. c. 85.
Wilhelmi
Ep. Pad.
electio a
Pontifice
comproba-
tur, Ber-
trando in
Italiam re-
vocato.

Gobel. etat.
6. cap. 85.
Wilhelmi
Ep. Diece-
sis suæ ad-
ministra-
tionem
adit.
Littera
Warburg.
Littera
Brakul.
Iussu fra-
tris sui car-
pitur a
prefecto
Revensber-
genfi.

doctrina præstantem Episcopum per id tempus desiderarit, in quo aspectabiles virtutes Episcopi & Principis munus explerent. Quare ut Mindenenses cum Marquardo, a Pontifice oblato, egisse diximus, ita hunc Bertrandum fatigare Paderbornenses, ultro ut se Episcopatu abdicaret; quod & Pontifici rursus dissimulandum fuit. Neque tamen *Wilhelmus* omnem de se expectationem explevit. Quippe quem, deserto non modo Paderbornensi, sed &

Coloniensi Episcopatu, ad nuptias transiisse memorabimus.

Ille interim hoc anno, cum e cætu Wilhelmus Ep. Canonicorum in choro præsentiam urgeat. Canonicorum nonnulli nec in urbe præsentessent, nec Basilicam frequentarent, præclarum & sua & Capituli auctoritate edidit decretum, quo ejusmodi Canonici mulctati fructibus ad præsentiam & chorum restringerentur. In pervigilio deinde Natalis Virginis, publicis hac super re tabulis confectis, novi altaris erecti dotationem in Brakeleusis urbis Ecclesia ratam habuit.

Annus Christi 1402.

Bonifacii IX. Pont. 13. Ruperti Cæsar. 3.

Wilhelmi Ep. Pad. 2.

Altero subinde anno *Wilhelmus* Episcopus plenam dicecesis administrationem tam in sacris quam civilibus adiit, adscitisque ex Collegio Cathedrali & ordinum cætu prudentibus juventutis suæ moderatoribus, rem magnis supra ætatem animis est aggressus. Atque ut domi primum omnia componeret, accepto fidei juramento a civilibus & vasallis, provincialia comitia indixit; in iisque Warbürgensibus, Brakulensibus, ceterisque civitatibus privilegia sua instauravit. Læta hæc & pacata erant novi Episcopi ac boni Principis exordia; cum hoc ipso anno iter ad Rhenum ingressus *Wilhelmus* capitur ab Henrico Oer, præfecto castri Ravensbergenfis, quem *Wilhelmi* frater *Adolphus* Dux Montium, & Comes Ravensbergenfis suo castro, huic dicecesi contermino, imposuerat. Dissidebat enim jam per id tempus *Adolphus* Dux a *Wilhelmo* patre suo, quod ab eo divisionem provinciæ sollicitaret, ac diutius vitam protraheret, quam ejus regnandi libido ferret. *Wilhelmus* vero Episcopus noster, quod optimi filii erat, patris defensionem susceperat, paratus etiam si res posceret, dicecesis suæ vires pro honore & salute patris producere. Quibus ut *Adolphus* praverteret, *Wilhelmum* Episcopum nostrum per Ravensbergensem præfectum suum noctu, dum in villa quadam ex itinere quiesceret, xxvii Octobris interceptit, captivumque abduxit; e qua tamen captivitate haud multo post, interpellata Cæsar's & Pontificis auctoritate, per dicecesis ordines liberatus est.

Agebantur hæc dissidia inter fratres

patremque hoc anno, quo *Rupertus* Cæsar, eorum avunculus, Romanum iter susceperat; nam ille, ex quo Romanorum Rex creatus erat, nihil impensus habuit, quam ut in Italiam expeditionem susceperet, & pro veteri Imperatorum ritu a Pontifice augustali corona ornaretur; sollicitatusque ad hoc erat a Bonifacio Pontifice & Florentinis, ad Galeatii tyrannidem comprimendam. Quam in rem *Rupertus* præmisit Romam *Conradum* Satalum, Verdensem & Saxonicum Episcopum, Oratorem & Theologum præstantem, qui in amplissimo Cardinalium senatu de *Ruperti* sapientia, justitia, & fortitudine, ceterisque virtutibus tanto Principe dignis peroravit; quemadmodum hæc panegyris in historia Ecclesiastica recitatur. Fuit autem *Conradus* Satalus, quem nostri Sultowium dixerent, ex urbe Lunenburgensi ortus, præstantissimus ea tempestate Theologus, vir eloquens, & decus Saxoniorum Episcoporum, eoque a *Ruperto* Rege ad id munus præ cæteris delectus. Hanc Legatum *Rupertus* cum exercitu est consecutus, deducentibus Regem *Fridericum* Coloniensem Archiepiscopo, *Leopoldo* Austria, *Carolo* Lotharingiæ ducibus, multisque Germaniæ proceribus. Verum, quod copiis minus validis adveniret, clade affectus a Galeatio, desertus a Coloniensi Archiepiscopo, & Austria Duce, nec a Pontifice, qui ipse egebat auxilio, adjutus, sub vernum tempus iter in Germaniam laceris copiis relegit, adeo jam vires Imperii afflictæ & enervatæ erant. *Rupertum* subinde scribit *Trithemius* Coloniæ

Reynaldus in histor. Eccles. Antonii. p. 2. *Blond.* l. 10. *Naucler.* Gen. 47. *Brouver.* Trithem. *Rupertus* Cæsar, Romanam contendit, ad suscipiendam a Pontifice Imperii coronam.

Gabel. acat. 6. cap. 85. *Wilhelmus* Ep. Dicecesis suæ administrationem adit. *Littera* Warbürg. *Littera* Brakul. *Justa* fratris sui capitur a præfecto Ravensbergenfi.

U u 2

loniæ

loniæ mense Majo splendidissimas nuptias Ludowico filio celebrasse, data ei in matrimonium Blanca Regis Angliæ filia. Cæsar inde Heidelbergam profectus, res Imperii moderandas suscepit; nec tamen impedire licuit, quominus Adolphus Dux Montium, sorore sua genitus, primum *Wilhelmum* fratrem, ac post etiam ipsum Patrem suum *Wilhelmum* captivum duceret. Tanta hoc tempore in Imperio conturbatio, & Principum libertas erat.

Obitus
Wilhelmi
Buschii Ep.
Mindenſis.

Minda hoc anno excessit e vita *Wilhelmus* *Buschius* Episcopus. In hujus locum Canonici pro veteri libertate sublegere *Gerhardum* de Monte præpositum Colonienſem. At dum *Bonifacius* Pontifex Episcopus dixit *Ottone* *Ritbergenſem*, ortum est haud leve certamen, nec prius finitum, quam *Gerhardus* de Monte accepta certæ pecuniæ summa Episcopatum relinqueret

Ritbergenſi ea tum Pontificum valebat auctoritas in Episcopis dandis.

Subtraxit & hic annus, XIX Januarii, *Theodoricum* *Hornaum* *Osnabrugensem* Episcopum, virum religiosum, & bellica fortitudine per 25 annos in administranda diœcesi egregium; qui non modo ex fœdere cum *Ottone* Episcopo *Monasterienſi* inito, constanterque cultus: sed & patrocinio *Wilhelmi*, *Montium* Ducis, & *Comitis* *Ravensbergenſis*, omnes hostes suos feliciter obrivit. Ob quam fidam operam Canonici sæpe *Theodorico* auctores fuere, deligeret sibi *Wilhelmum* filium ejus adjutorem, quem *Paderbornenses* præripuerunt. Auctum ab eo patrimonium Ecclesiæ castris bonisque compluribus. Subrogatus *Theodorico* *Henricus* *Holfatiz* & *Schawenburgi* Comes in *Osnabrugensi* Episcopatu.

Et *Theodoricus*
Hornaum
Ep. *Osnab.*
Err. xv.
in *Chron.*
Osnabrug.
Crantz.
lib. 10. Me.
1707. c. 48.

Annus Christi 1403.

Bonifacii IX. Pont. 14. *Ruperti* Cæsar. 4.
Wilhelmi Ep. Pad. 3.

Lerbeckius
in *Chron.*
Schæff.
Meibomius
in *Notis*
Paderitius
in *Chron.*
Lipp.
Crantz.
Crantz. l. 11
Metrop. c. 7.
et lib. 10.
Saxov. c. 24
Spangenberg.
in *Chron.*
Witzius
Err. xviii.
in *Chron.*
Osnab.
Bellum
Brunswi-
centes inter
& *Comi-*
tem *Lippi-*
ensem, ceteramque
Westphalia
nobilis
tatem.

Anno dehinc subeunte vicinum nobis bellum concessit *Westphalia*, quod inter *Bernardum* *Comitem* *Lippiensem*, & *Henricum* *Ducem* *Lunenburgenſem*, ejusque fratrem *Bernardum* *Ducem* *Brunswicensem*; magnis iris, magna que *Nobilium* *Westphaliæ* conspiratione, gestum hoc anno refert *Meibomius* ex veteri chronico; *Paderitius* vero & *Chronici* *Brunswicensis* auctor ad sequentem annum; *Lerbeckius*, qui captivitatem Ducis *Lunenburgenſis* prosequitur, in *MCCCCV* etiam rejicit; causam tamen nemo satis prodidit; nisi quod *Crantzius* indicet, *Brunswicenses* incursionibus trans *Visurgim* factis prædisque laceffisse *Lippienses* ac finitimos *Westphaliæ* populos. Quapropter *Comiti* *Lippiensi* arma sua conjungere *Hermannus* *Comes* *Everstenius*, diœcesis nostræ superioris præfectus militaris. *Gerhardus* ab *Enſe*, *Theodorus* *Kettelerus*, *Joannes* *Droſtus*, *Fridericus* *Brenckius*, alique quam plures viri equestris ordinis; uti ad ejusmodi bellorum motus prona stabat nobilitas, armis prædisque innutrita. Igitur postquam *Dux* *Lunenburgenſis* *Visurgim* cum copiis transgressus, vicinosque agros infestare compertus,

objecit se cum *Lippiensi* *Comite* armata nobilitas, multis hinc inde velitationibus actis; donec XIX *Novembris* in planitie ad *Oterbergam* haud procul a *Visurgi* instructa utrimque acie concursum, & acerrime depugnatum est. Cæsi *Lunenburgenſes* ac *Brunswicenses*, quos inter *Henricus* *Dux* *Lunenburgenſis* a *Bernardo* *Comite* *Lippiensi* captus, in veterem munitamque arcem *Falckenberg* abductus, atque ut *Lerbeckius*, clarus e familia *D. Domini* eorum temporum scriptor memorat, in cippo, (quod lignum est bipatens, in quo fontium pedes includuntur) inhumane & crudeliter est tractatus. Eo in carcere per integrum annum *Dux* a *Comite* detentus, nec ante laxatus est, quam centum millia aureorum jureret se *Comiti* daturum, obsidesque daret nobiles & equites, quorum fide certus esset de lytro persolvendo. His transactis, *Dux* e carcere dimittitur; qui mox sese ad *Rupertum* *Cæsarem* contulit, questurus de injuria & sævitiâ, qua per annum in carcere habitus fuisset. Quibus auditis, *Cæsar*, literis per *Saxoniam*, *Westphaliam*, & *Hassiam* promulgatis, *Ducem* a juramento absolvit, & *Bernardum* *Comitem* *Lippiensem*,

Pontifex
dato diploma
ante libertatem
Ecclesiasticam
defendit.

Trübem.
in *Chron.*
Spangenberg.
Chron. *Tre-*
mon. *M.S.*
Tischman.
part. 2.
Stratmann.

ensem, ejusque patrem Simonem, ac Hermannum Comitem Everstenium proscriptit. Implorata & Pontificis auctoritas, a quo & Comes Lippiensis anathematis vinculo perstrictus est. Interim Dux quindecim millia aureorum pendere coactus; reliquum ab obsidibus magnam partem a Comite extortum est. Tanta vel unius Comitis audacia adversus potentem illum Ducum Lunenburgenium & Brunswicensium familiam sese exeruit.

clesiasticis severe perstringi, quotquot Magistratus civiles vel leges & plebiscita adversus libertatem Ecclesiasticam statuerent: vel exactiones a Clero exigent: vel bona Ecclesiae invaderent: vel Ecclesiasticam personam ad tribunal civile raperent: vel oblationes fidelium intervererent: vel Sacerdotes, Clericos, aut religiosos homines proscribere, spoliare, in vincula trahere, aut aliis verberum vulnorumque injuriis per sacrilegium tractare ausi fuissent. Id diploma Bonifacii Pontificis apud S. Petrum VIII Idus Maji Pontificatus anno quarto decimo consignatum tenemus, & quia prolixum est, recitare praetermissimus. Adhuc ea tempora erant per Saxoniam, quibus Pontificum auctoritas, censuraeque Apostolicae Sedis valebant apud conscientias hominum, quamvis multum in haereses saeculum inclinaret.

Pontifex duo diploma libertatem Ecclesiasticam defendit.

Ceterum cum per id tempus multi Dynastae in suis territoriis, multique Magistratus & civitates in dioecesi Paderbornensi, Mindenensi, & Colonienfi multas leges & plebiscita ferrent, quibus libertati & privilegiis Cleri derogabatur, multisque injuriis tractarent Clerum; questi sunt hac super re Praepositus, Decanus, totumque Collegium Cathedrale Paderbornense cum Abbatibus & clero apud Bonifacium Pontificem, libello supplici eidem oblato; quo accepto, Pontifex praclarum hoc anno diploma pro libertate Ecclesiastica asserenda dedit, idque Abbati Paderbornensi SS. Petri & Pauli, Abbati S. Martini Mindenensi & S. Parochi Sufatensi, dioecesis Colonienfis, promulgandum transmisit. Eo vero diplomate non modo ad veteres Ecclesiae canones, sed & Friderici, Caroli IX, aliorumque Imperatorum leges pro libertate Ecclesiae ferevocat, mandatque censuris Ec-

Et vero quanta per id tempus civium Paderbornensium fuerit insolentia, satis commonstrat eorum plebiscitum, quo praescribere, sacrificia pro defunctis non nisi die dominico, oblationesque deinde ad unam Missam fieri debere. Adversus hoc pravum decretum Magistratus, cum Gobelinus; qui cum Parochum & Concionatorem agebat in Forensi templo peroraret, tantam sibi populi invidiam, odiumque concivit, ut metu publicae seditionis ultro se munere abdicarit.

Gobel, erat. 6. c. 70. Civium Paderbornensium insolentia.

Annus Christi 1404.

Bonifacii IX. Pont. 15. Ruperti Caes. 5. Wilhelmi Ep. Pad. 4.

Subinde Wilhelmus Episcopus noster domestico malo conflictatus est. Nam quem habebat fratrem Adolphum patris heredem in Ducatu Montium designatum, is longioris patris vitae impatiens, incensusque regendi cupidine, Wilhelmum patrem captivum abduxit in castrum Nuemburgum, ubi in arcta eum custodia habuit, frustra sanguineis, & Anna matre, quae Ruperti Caesaris soror erat, deprecantibus. Ac mater, cum multis lacrymis nihil ab impio & obdurato filio, qui jam se ducem Montium superbo titulo ferebat, impetraret, Heidelbergam ad Rupertum Caesarem, fratrem suum, proficiscitur, multis querelis accusando

Adolphum filium. Caesar ad tam impium facinus indignatus, Adolphum proscrit, jubetque ad patris obedientiam redire. Quo Caesaris iudicio confirmatus Henricus ab Oer, etsi primum Wilhelmi patris ac Wilhelmi filii Episcopi nostri hostis esset, post tamen, hortatu & promissis Friderici Colonienfis Archiepiscopi, Ducem liberavit, solutumque Sorsum ad Coloniensem Archiepiscopum deduxit.

Ceterum cum hoc anno Henricus Comes Holfatiae Osnabrugensis antistes ultro se Episcopatu abdicasset, in ejus locum Praefules ac Canonici Osnabrugenses sublegere Ottonem Monasteriensem

Erron. in Chron. Osnabrug. Cleinsorg. in Chron. Westphal.

Et Theodoricus Hornae Ep. Osnab. Erron. in Chron. Osnabrug. Crantz. lib. 10. Me. Prop. c. 48.

Trithem. in Chron. Spanheim. Chron. Tremon. M.S. Trithem. part. 2. Struicium.

Crantz.
lib. 11. Mo.
Wep. c. 1.

ensem Episcopum; impetratumque a Pontifice, ut Osnabrugensem Episcopatum Administratoris titulo cum Monasteriensi conjungeret. Primo, inquit Crantzius, nihil frequentius, quam translatio Episcopi ex una dicecesi in aliam Pontificis auctoritate; post necessitate etiam temporum urgente unus Episcopus pluribus oneratus. Ut vero Ottonem poscerent Osnabrugenses, fecere merita superiorum armorum, quibus Theodorico Episcopo junctus, Osnabrugensem Ecclesiam haud secus quam suam haecenus propugnarat: tum bellica fortitudo Ottonis, qua omnibus circum Comitibus & Principibus formidabilis erat, sub cujus elypeo Osnabrugenses suae dicecesis defensionem expeiebant. Sed foedior causa Holfatae in deserto Episcopatu, nec alia, haec; quam quod Gerhardus frater ejus Dux Sleswicensis & Holfatae bello Dithmarico occubuisse, tribus filiis in pubertate relictis, quorum tutelam curamque sibi ante Episcopatum habendam dicebat. Caeterum Praeful, Erwini testimonio, qui magnam sui spem dederat, qui indies cum tota aula summo mane Ecclesiam adire, chorum frequentare, multis precibus Deum colere, religiosos liberalitate fovere, jus ex aequo summis infimisque dicere, multa sacrorum aedificia moliri visus. Ab hoc praefule

primum Osnabrugum introducti Canonici regulares secundum D. Augustini institutum quibus & domicilium dedit, & multis postea in Holfatia etiam donationibus profecutus est ad novam Coenobii fabricam erigendam. Eo nunc optabilior Osnabrugensibus Otto Episcopus obrigit, qui Ecclesiam illam haud secus, quam Monasteriensem constantissime, ut Erwinus memorat, propugnavit, servavitque ab hostibus intactam.

Mense Octobri, die videlicet prima, e mortalium numero excessit Romae Bonifacius Pontifex, qui imperiali majestate haecenus Ecclesiam rexerat; ac bene de Paderbornensi meritis; cui e Cardinalium Collegio mox sublectus Innocentius VII. vir aetate grandaevis juris Canonici Doctor, ac multae experientiae, vitaeque castissimae, quemadmodum Theodoricus de Niem Paderbornensis multis virtutibus ornatum exhibet, sed qui biennio Pontificatum clausit. Illustris per id tempus Paderborna duobus egregiis scriptoribus Theodorico, & Gobelino viris in curia Romana probatissimis, quibus multum debet historia Romana, quod ab his schisma eorum temporum, & res gestae Pontificum caeteris etiam accuratius perscriptae sunt.

Annus Christi 1405.

Innocentii VII. Pont. 1. Ruperti Caes. 6.

Wilhelmi Ep. Pad. 5.

Autor.
Chron. Belg.
Chron.
Tremen.
M. S.
Gobelin.

Continuatae per haec turbae in alterum annum ex facinore Adolphi Montium Ducis; ac tamen Wilhelmus pater e captivitate ereptus esset, nondum tamen secundum Caesaris voluntatem repositus erat in ducatum. Quare adversus proscriptum Adolphum filium foedus armorum iniere Fridericus Colonienfis Archiepiscopus, urbs Colonienfis, Wilhelmus Episcopus noster, patri semper fidiissimus; junctisque armorum viribus Montium ducatum ingressi trans Wipperam flumen Ratingam, Solingam, Wipperfordiam Oppida expugnant, & spoliis exhauriunt. Solinga etiam incendio vastata. Eadem pernicies villis, agrisque populando illata. His demum malis castigatus Dux Adolphus ad obsequium patris, & reconciliationem adactus est; quem &

Fridericus Archiepiscopus Colonienfis anno sequenti Mareschallum suum Ducatus Westphaliae creavit. Wilhelmo patre demum anno 1408 mortuo, & in Monasterio Montis veteris consepulto, Adolphus totius Ducatus Montium & comitatus Ravensbergenfis possessionem adiit; extinctoque etiam post Rainaldo Juliae Duce anno 1423 in Ducatu Juliae successit. In hac tamen amplissima provinciarum possessione nullum haeredem successorem nactus est; nam filium, quem susceperat Rupertum, ante Adolphum patrem mors raptit; cessitque omnium harum provinciarum haereditas Gerharo Duci Juliacensi Adolphi patruo, iusta Numinis poena, quod parentem captivum traxerit in carceres. Sed his in praesens transactis cum Adolpho, reconciliatoque

Constitutio
Wilhelmi
Ep. de obe
dientis Ca
nonicorum

Constitutio
Wilhelmi
Ep. de obe
dientis Ca
nonicorum

que etiam Adolpho cum Wilhelmo fratre Episcopo nostro, una animorum consensione Fridericus Colonienſis Archiepiſcopus, Adolphus Dux Montium, & Wilhelmus Episcopus noſter in unum ſuarum provinciarum deſenſionem, mutuūque auxilium magna Weſtphaliæ publicæque pacis bono convenere.

Ac Wilhelmus Episcopus noſter, qui in magna cum Cathedrali Collegio animorum conjunctione diœceſin adminiſtrabat, hoc anno, concordiæ firmandæ cauſa, edidit conſtitutionem de obediētiis, ut vocant, & ſupplementis Canonicorum; quam hoc loco etiam, cum id genus proventuum, quod ſupra annuos Canonicorum cenſus datur, paſſim per Weſtphaliā & Saxoniam in Cathedralibus Eccleſiis invaluerit, adjicere viſum fuit.

Wilhelmus Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia electus confirmatus Eccleſiæ Paderbornenſis, univerſis præſentia viſuris in Domino ſalutem. Cum ea, quæ pro Eccleſiaſtici ſtatus honore ampliando olim ſalubriter inſtituta fuiſſe noſcuntur, manifeſtis indiſciis tendere deprehendantur ad noxam ſolicitudinis paſtoralis, intereſt pericula præcavere futura. Hinc eſt, quod ſicut experientia didicimus, cum obediētiis ſeu ſupplementa præbendarum infra ſcripta Canonicis majori præbenda præbendatis & emancipatis in Eccleſia noſtra prædicta per Episcopum Paderbornenſem conferri ſolita vacare, & ea ad petentium importunitatem, aut alias, non ut expedit, diſpenſari contingit, privati commodi pernicioſus affectus, dum bonum commune negligit, in ipſius Eccleſiæ detrimentum ſuas nonnunquam relaxat habenas. Quapropter nos cum honorabilibus Dominis, Præpoſito, & Capitulo Eccleſiæ noſtræ prædictæ, communi conſenſu omnium noſtrum, tractatu Capitulari ac matura deliberatione præhabitis, utilitate ipſius Eccleſiæ in hoc evidente penſata, de obediētiis ſeu ſupplementis præbendarum ſupradictis, ſtatuto & ordinatione perpetuo valituris, ſtatuvimus & ordinavimus, quod quotiens aliqua de obediētiis ſeu ſupplementis antedictis de cætero vacare contingit, Canonicus majori præbenda præbendatus & emancipatus, qui ſuperior eſt in gradu, ſic

quod Præpoſitus primum, Decanus ſecundum locum, & deinde Priores & cæteri ſecundum gradus, quantum adhuc habeant, illam obediētiā infra dies a tempore vacationis, poſtquam in ipſa Eccleſia ipſa vacatio nota fuerit, immediate currentes, coram Capitulo dictæ noſtræ Eccleſiæ in propria perſona adoptet; quod ſi neglexerit, ſeu noluerit ea adoptare, ſequens eum immediate in gradu illam poterit modo conſimili adoptare; ita ſane, quod ſi plures obediētiis tales ſimul vacare contigerit, ille adoptans illa vice unam duntaxat adoptet, nec ſit ei aliam adoptandi facultas, donec ſingulos Canonicos ad hoc, ut præmiſſa eſt, habiles & idoneos huiusmodi adoptionis ordo percurrat, tunc denum, & non prius, aliam poterit adoptare, & illam cum prius habita tenere. Nullus autem Canonicorum prædictorum ultra duas ſimul habere debet de obediētiis ſeu ſupplementis antedictis, niſi tunc ſtante tempore adoptionis prædictæ ſinguli Canonici ad huiusmodi adoptionem idonei jam binas obediētiis de prædictis obtinerent, tunc ille, quem adoptionis ordo tangeret, tertiam poſſet adoptare, & illam cum prius habitis licite retinere. Si vero ille, quem, ut præmiſſum eſt, ordo tangit adoptionis, aliquam de prædictis obediētiis jam poſſidet, poſt illam, quam habet, ſi vult, dimittere, & vacantem de novo adoptare, & illa ſic dimiſſa per ſequentem in ordine eo modo, quo ſuperius eſt expreſſum, poterit adoptari. Præterea adjicimus ſupradictis, quod ſiquis Canonicorum ad optandum idoneus, ut præfertur, obediētiā vacantem non adoptaverit, nihilominus ſalvum maneat illi jus prioritatis in adoptione obediētiæ deinde vacaturæ, quam juxta modum ſupraſcriptum duxerit adoptare. Si autem de obediētiis iſtis aliquam in tantum deterioratam conſtaret, ſeu in futurum deteriorari contingeret, quod propter onera ipſius ſubeunda, aut alias nemo Canonicorum ſupradictorum eam duceret adoptandum, fructus illius ad uſus Capituli eo modo, quo hucusque in talibus conſuevit obſervare, remanebunt, donec forte Canonicorum aliquis prædictorum onera illius ſubiturus, ipſam duxerit acceptandam. Ut autem præmiſſa omnia & ſingula efficaciſſime robur obtineant firmitatis, Nos Wilhelmus ſupradictus omni juri, quod nobis & ſucceſſoribus noſtris in prædicta-

Conſtitutio
Wilhelmi
Ep. de obe-
diētiis Ca-
nonicorum

Capitulum
Paderbornenſis
Eccleſiæ

Statum obedientiarum seu supplementorum predictorum collatione, aut qualicumque dispositione competebat quovis modo presentibus, pro nobis & successoribus nostris sponte & libere renunciavimus. Et ne cuiquam in premissis liberetur tribuatur erroris facultas, obedientias seu supplementa premissa sub his nominibus eorum consuetis presentibus duximus inferenda, Schonenbergh, Remynguse, Moringen, Sallo: Decima in Sinede, Wever, Hildebusen, Selinghuson, Eschechtinghusen, Brockhusen, Hymelbus, Thanebus, Makenlo, Bruchne, Dale, Vylese, Elren, Sekehem, Hildebusen, Brenke, Schoteme, Rode, Luthe, Daseborch, Ofsendorp, Lemego, Ultesen: decima Queden, Hoyeringhus, Belinyngbus, Wetter, Norrborchnen, Brakle, Eysnen, Gokesberg, Bokenevorde, Heugeldere, Sumersile, Kleykampe, Besinghusen, Corbeke, Natbesungen, & Barckhusen. In quorum omnium & singulorum fidem & testimonium presentes literas, seu presens publicum instrumentum, huiusmodi statutum in se continentes, seu continens, exinde fieri, & per Bertholdum Notarium scriptum scribi & publicari mandavimus, & sigillo nostro una cum appensione sigilli Capituli nostri supradicti fecimus communiri. Et Nos, Præpositus, & Capitulum Ecclesie Paderbornensis predictæ, Decano nostro in remotis agente, in signum nostri consensus, voluntatis,

& approbationis omnium premissorum sigillum nostrum fecimus presentibus appendi. Acta sunt hæc in domo Capitulari Ecclesie Paderbornensis sub anno a Nativitate Domini Millesimo, quadringentesimo, quinto, Indictione tredecima, mensis Martii die nona, hora sexta vel quasi, Pontificatus sanctissimi in Christo patris & Domini nostri Domini Innocentii divina providentia Papæ VII anno primo, presentibus ibidem discretis viris Dominis Gobelino Oersor, Joanne Bruggeman, & Joanne Pictoris in prædicta Paderbornensi Ecclesia beneficiatis, perpetuis testibus ad premissa vocatis specialiter & rogatis.

Hanc deinde constitutionem Wilhelmi Episcopi nostri Alexander nomine v. & Joannes Pontifex anno MCCCXC publico diplomate comprobant, quorum apud nos tabulæ servantur; observantque inter nos viri antiquitatum gnari, hæc supplementa bonorum plerumque ex priores decimis, olim a Carolo M. Ecclesie Cathedrali parochiisque per diocesim attributis, desumpta, quæ deinde, soluta communi vita, factaque bonorum inter se divisione, emeritis & emancipatis Canonice obvenere. Nec infrequentes olim e Collegio Cathedrali sacerdotes simul Ecclesiarum Parochi, quibuscum hæc magnam partem ad Ecclesie majoris patrimonium traducta creduntur.

Annus Christi 1406.

Innocentii VII. Pont. 2. Ruperti Cæ. 7.

Wilhelmi Ep. Pad. 6.

Vacuum exinde Wilhelmus Episcopus noster a publicis familiae turbis ac bellis, annum sequentem impendit informandis ordinandisque Ecclesie suæ negotiis. Quam in rem, præter alios præstantes e Clero Sacerdotes, in aula habuit Gobelinum Personam, omniscientiarum genere excellentem, diuque in curia Romana apud diversos Pontifices exercitatum, eoque inter Sacellanos aulicos & moderatores rerum sacrarum a Wilhelmo adscitum, Ejus consilio cum cetera Cœnobia, tum vel maxime Bodecense Virginum Canonicarum Monasterium ad meliorem formam reducendum suscepit. Jacebat id per multos annos vastum desertumque ab ipsis Virginibus & Clericis, sola Abbatisa

in angusto tugurio remanente. Igitur cum in celeberrimo illo Monasterio ac templo, a D. Menolpho condito, nullus amplius sacrorum cultus superesset, templumque versum esset, in stabulum pecorum; consultum habuit Episcopus & Canonici, ipsum D. Menolphum corpus transferre Paderbornam ad Basilicam suam, & honoratiorem divini cultus locum, in quo & ipse D. Menolphus sanctius coleretur. Id vero cum Abbatisa innotuisset, clam illa noctu per rusticanas mulieres tumbam, in qua sacra ossa condita erant, sustulit, & in vicino equili abscondit; ut, multum licet Episcopi ministris scrutantibus, sacrum pignus irreperit manserit; tanquam & Divus e suo veteri quietis

Gobel, *Actas.*
6. c. 89.
& 90.
Acta Cœnobii Bodecensis.

Wilhelmus Ep. animum ad reformandum Cœnobium Bodecense adjecit.

Corpus D. Menolphii Paderbornam transferre cogitavit.

quietis loco transferri nollet, sed, quod tertio abhinc anno factum est, introductis aliis religiosis viris, cultum suum istic continuari; id quod paulo post narrabitur.

Litteræ Paderborn.
Callam &
ædem ad
Sanctam
Annam
consecrari
sunt.

Alium interim locum, duabus ab urbe Paderbornensi leucis distitum, in montibus Teutonicis divino cultui consecrari fecit Wilhelmus, quem ad sanctam animam vulgus appellat. Ibi cum Conradus quidam Eremita solitariam vitam delegisset, & in honorem S. Crucis ædem sacram suis & Ludolphi nobilis de Elmeringhus impensis construendam obtulisset; Episcopus eo prout factum approbavit, quod jam ante cella istic solitarii viri stetit (in qualem Conradus quoque se recludi voluit) & crucis effigies, miraculis clara, ab incolis coleretur, ob quæ hodieum locus annua populi supplicatione, magnaque hominum ex urbe Paderbornensi & vicinis Oppidis pagisque confluentium pietate celebris est. Litteræ approbantis Episcopi sunt hæc.

Wilhelmus Dei & Apostolicæ Sedis gratia Paderbornensis Ecclesiæ electus & confirmatus. Dilecto nobis in Christo fratri Conrado Heremite to der Hilligen Sele, nostræ Paderbornensis diocesis, salutem in Domino. Ad ea, quæ divini cultus augmentum, & salutem animarum respiciunt, libenter nos benignos & favorabiles exhibemus. Sane petiit pro parte tua nobis exhibita continebat, quod tu ad laudem divini Naminis, & honorem S. Crucis, quandam Capellam & altare ac inclusorium in loco, vulgariter nuncupato to der Hilligen Sele, ejusdem nostræ diocesis, de consensu & beneplacito Rectoris parochialis Ecclesiæ in Dorenbaghen subscriptæ, infra cujus parochiæ limites idem locus consistit, ac strenuorum virorum Godscaldi & Ludowici, nec non Conradi & Ludolphi dictorum de Elmerinchusen, ac omnium suorum hæredum ad hoc requisito & obtento, ad quos proprietates fundi loci prædicti pertinere dinoscitur, erigere & construere proponis tuis propriis sumptibus & expensis, ac aliorum Christi fidelium elemosinarum largitionibus mediantibus temporibus affuturis. Quare pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut tibi fundandi, erigendi, & construendi capellam ipsam, & unum

altare in eadem ad inclusorium licentiam concedere dignaremur. Nos igitur tuis supplicationibus inclinati tibi & successoribus tuis fundandi, erigendi, & construendi capellam ipsam, ut præfertur, sub conditionibus & modificationibus ac clausulis infra scriptis, liberam auctoritate ordinaria licentiam largimur; ita quidem, quodocumque & quotiescunque dictum inclusorium post obitum tuum per mortem, aut resignationem, seu quancumque dimissionem vacaverit, ex tunc jus conferendi ejusdem conclusorii personæ Ecclesiasticæ sive seculari in perpetuum apud seniores masculum de progenie Elmerinchusen prædictis, aut alios quoscumque dicti fundi possessores remanebit; quibus deficientibus, aut si forte idem Senior vel possessores infra tres menses a tempore vacationis ipsius inclusorii personam habilem, & laudabilis vitæ, & honestæ conversationis non instituerint ad illud, ex tunc ejusdem inclusorii dispositio & collatio, ad Præpositum Ecclesiæ Paderbornensis, qui pro tempore fuerit, devolvetur. Et in super, postquam hujusmodi capella & altare erecta fuerint & consecrata, & non prius, ex tunc, quotiescunque Rector parochialis Ecclesiæ in Dorenbaghen prædictæ, qui pro tempore fuerit, aut ejus Capellanus, ibidem missam celebraverit, omnes & singulas oblationes penitentiales infra Missarum solemnia, & die dedicationis eorundem Capellæ & altaris in eodem altari oblatas seu offerendas temporibus affuturis quibuscumque recipiet, tollet, & levabit, & in usus suos libere convertet, omnibus vero aliis & singulis oblationibus, tam in Petina, cera, clenodiis ad eandem capellam & truncum ibidem ponendum apportatis, seu apportandis, oblatas, seu offerendas ad eundem Heremitam pro sui sustentatione, ac luminaria, & ad fabricam dictarum Capellæ, & altaris, ac inclusorii remanentibus in futurum. Crux vero ibidem existens pro majori reverentia sibi exhibenda super dicto altari debet collocari, quæ etiam in dicto die dedicationis infra missarum solemnia non debet nisi offertorio completo deponi.

Nos itaque tuam laudabilem intentionem, ac dictorum de Elmerinchusen & suorum hæredum quoad præmissa in domino commendantes, hujusmodi collationem, & dispositionem, seu ordinationem, prout superius enarrantur, prout
X x

Et quemadmodum rite et ordinate factae sunt, ratas habemus et gratas, et eadem auctoritate ordinaria confirmamus, harum testimonio literarum sigillo nostri officialatus majori, quo utimur, ad praesens sigillatarum praesentibus appenso. Et nos Henricus de Buren Praepositus dictae Ecclesiae Paderbornensis, ac Johannes Toninges de Sassenbusen Rector dictae Ecclesiae in Dorenbagen, proprio sigillo carens, utens sigillo Domini Hermanni Felsenbergh ad praemissa, nec non Gotscalcus de Elmerinchusen pro me et aliis praedictis et nostris haeredibus in signum approbationis praemissorum et nostri consensus ad praemissa adhibiti praesentem literam pro nobis et successoribus nostris duximus roborandam. Datum anno Domini millesimo, quadringentesimo, sexto, in festo Conceptionis gloriosissimae Virginis Mariae.

Chron.
Mindenſe
M. S.
Chr. Mind.
a Meibom.
editum
Mindenſe a
Pistor. edi-
tum.
Cranz. lib.
11. Metrop.
c. 42.
Hamelm.
in Chron.

Sub exitum anni hujus, ab excessu Ottonis Comitis Ritbergensis Mindensis Episcopi, subrogatus in ejus locum Corbeienſis Abbas Willebrandus Comes de Hallermont, pugnacissimus Praesul, cui et bellum fuit cum Bernardo Lippiensi, et Nicolao Teclenburgico Comite; nam alteri armata manu castrum Wedengenſteinium, alteri Reinenbergam, tertium castrum Radenam Bockio nobili eripuit, Ecclesiaeque suae reddidit. Multis dein bellis pra-

liisque interfuit: ex quibus tot vulneribus faucibus rediit, ut post mortem, inspectis cicatricibus, corpus instar secti affique piscis deprehensum fuerit. Homo durus, qui clericum aliquando cippo inclusit, et culeo insutum projecit in Visurgim, haud alia ex culpa, quam quod Romae sacerdotium suae diocesis impetrasset, cujus donationem sibi vendicabat. Ob id factum a Pontifice grandi aere mulctatus, invisusque, adlegit sibi adiutorem Episcopatus Albertum Comitem de Hoja. Ejusmodi hominem Roma venientem cum provisionis literis Simon Sternebergus Episcopus noster conjecit in carceres, in quo ad mortem usque ut supra diximus afflixit, visique sunt Episcopi illam Sacerdotiorum, impetrandi libertatem castigare, quae tum pravo usu invaluerat, sed crudeles haec magis poenae ex crudo illo saeculo, quam promerita, dignae Episcopo. Gessit interim Willebrandus per xxx annos, et tres menses Episcopatum: obiit post illa pridie Natalis Christi anno xxxvi, vel ut alter factorum liber tradit, xxxvii hujus saeculi, postremus Comitum Hallermontiorum, quocum vetus Comitatus Hallermontius, qui intra jurisdictionem Mindensis et Ducatum Brunswicensis monstratur, extinctus cessit Brunswicensibus.

Oldend.
p. 105. & lib.
de famul.
emort. pag.
114.

Gobelinus
Paderis.

Wilhelmus
Ep. Lippien-
ses ad
praesentem
juramentum
fidelitatis
adigit.

Annus Christi 1407.

Gregorii XII. Pont. I. Ruperti Caesar. 8.

Wilhelmi Ep. Pad. 7.

Gobelin.
cap. 88.
Paderis
in Chron.
Lippienſ.
Meibom.
in Chron.
Brunsv.
Wilhelmus
Ep. Comi-
tem Spiegel-
bergicum
& Hamme-
lenſes bello
vincit.

Vertente anno Wilhelmus Episcopus arma casu magis, ut Gobelinus tradit, quam ex destinato consilio rumpit; et Comitem de Spiegelberg, Oppidanosque Hammelenſes ad Visurgim, commissa prospere pugna, festo D. Caeciliae Virginis superavit. Nam, etsi sedecim tantum ex hostibus caesi, ingens tamen captivorum multitudo fuit, quos in vincula conjecit: ceteris fuga elapsis, et Hameliam sese retrahentibus. Paderbornensium eo praelio multi quidem faucii, nullus tamen morte sublati; id quod ad numinis beneficium retulit Wilhelmus, ut victoriae hujus diem quotannis D. Caeciliae celebrem statuerit.

Haud multo post validum Princi-

pum foedus est contractum, auctore duce Lunenburgensi, et Bernardo Duce Brunswicensi, ad ulciscendos Comites Lippienses; in quod tum Otto Dux Geldriae, Hermannus Landgravius Hassiae, Adolphus Dux Montium, Comites Hojani, Schawenburgici, alique convenere. Huic et Wilhelmus Paderbornensis Episcopus noster nomen dedit, multum laceffitus a Lippiensibus; quod feuda Paderbornensis Ecclesiae, quae tenebant, detrectarent recognoscere. Quare junctis ingentibus copiis, factaque festo D. Jacobi in Lippiensem Comitatum irruptione, primum Hornam Oppidum obsidione incingunt. Id vero quia Lippienses munimentis, supra quam persuasi erant, firmarant; soluta post aliquot hebdomadas

Foedus
cum pluri-
bus Princi-
pibus init.
Et Lippien-
ses oppu-
gnat.

madas obfatione, totum Comitatum Simone patre & Bernardo filio se in-
depradationibus, ferro, flammaque tra Blombergam castrum continen-
per reliquum anni tempus evastant, tibus.

Annus Christi 1408.

Gregorii XII. Pont. 2. Ruperti Imper. 9.

Wilhelmi Ep. Pad. 8.

Gobelinus
Pideritius.

Anno hoc Wilhelmus Episcopus
noster bellum adversus Comites Lip-
pienses profecutus est. Id etsi Lunen-
burgensibus ac Brunswicensibus non,
uti sperarant, ex voto procederet,
nulloque Oppido & castro expugnato
trans Visurgim, præda tantum iram
& vindictam explendo, se recipere;
ausus tamen Wilhelmus Episcopus no-
ster contracto provinciali milite Lippi-
ensem Comitatum armatus ingredi;
stetitque ante urbem Lemgoviam cum
quingentis lanceariis & reliquis copiis,
extrema minitudo, nisi Simon & Ber-
nardus Comites imperata facerent, ac
cum cæteris Ecclesiæ Paderbornensis
vasallis juramentum fidei præstarent,
Hornamque Oppidum, & castrum
Valckenberg, Lemgoviam & Detmol-
diam, ac cætera, feudi nomine, & ritu
majorum, a se & ab Ecclesia accipe-
rent. Territi hac constantia Wilhelmi
Episcopi Comites, veritque ne bona
aut Lawenburgensibus, aut Brunswi-
censibus, aliæ potentiore Principi in
feudum daret, juramentum fidei dixere.
Quæ postquam Wilhelmus Episcopus
ad Rupertum Imperatorem avunculum
suum retulit, collaudavit Imperator
Wilhelmi constantiam, fidemque Eccle-
siæ suæ præstitam; ac mox etiam insigni
diplomate, secundum Henrici sancti, a
quo Comitatus ille Haholtinus Mein-
werco Episcopo donatus est, & cætero-
rum Cæsarium diplomata, nobilissimum
illud Ecclesiæ Paderbornensis feudum
novis tabulis confirmavit; in iisque, ut
Gobelinus refert, præter cætera loca
complexus est Hornam, Valckenber-
gam, Detmoldiam & Lemgoviam inter
feuda Paderbornensis Ecclesiæ. Ex quo
primum constat non a Simone eo no-
mine III. Comite Lippiensi, qui Wil-
helmum & Theodoricum consequitur,
sed vel a Simone I., vel Bernardo IV.,
vel Bernardo V Episcopis nostris ex fa-
milia Comitum Lippiensium, vel certe
ab alio aliquo Episcopo Paderbornensi
hæc in feudum esse data. Falli proin-
de necesse est Pideritium, quod scribat

Wilhelmus
Ep. Lippi-
enses ad
præstan-
dam jura-
mentum
fidelitatis
adigit.

hos Lippienses Comites Simonem &
Bernardum a Wilhelmo Episcopo armis
adauctos, ut has urbes & castra in feu-
dum traderent Paderbornensi Ecclesiæ;
cum Wilhelmus Episcopus nihil aliud
egerit, quam ut has urbes & bona,
quæ majores in feudum acceperant ab
Ecclesia Paderbornensi, & illi dicto ju-
ramento fidei feuda recognoscere.
Qua in re prisca Ecclesiæ suæ jura asse-
ruit. Poterat hoc Pideritius ex Gobe-
lino, a quo hæc tam diserte afferuntur,
discere; sed hunc illè auctorem vel non
legit, vel more quorundam, veri non
satis Studioforum, dissimulavit. Sane
cum nos in Meinwerco produxerimus
diploma D. Henrici Imperatoris, quo
Comitatum Haholti Comitis cum his
urbibus & castris Paderbornensi Ec-
clesiæ dedit, neque inde ullis tabulis
probari possit, aut venditione, aut
commutatione, aut donatione ad Co-
mites Lippienses transiisse, superest
feudi titulo (quod & ipsi Comites ho-
die agnoscunt) ad Lippienses per-
venisse; idque tanta prodigalitate aut
consanguineorum, aut aliorum factum
tradunt, ut tertiam Ecclesiæ nostræ par-
tem his feudis abalienatam semper que-
sti sint posteriores Episcopi. Major-
que jactura fuit, postquam Comites a
Catholica religione desciscentes, tot ur-
bes, pagos, villas, incolas per am-
plum illum Teutonicorum Montium
tractum secum primum ad Lutheri,
post ad Calvinii etiam hæresin detraxere.
Quæ mala fero etiam ex illa feudorum
donatione consecuta sunt.

Lippiensibus Comitibus ad obse-
quium deductis, Wilhelmus Episcopus
noster Lemgovientes aggressus est,
quos ex intentatis armis adegit ad ar-
cem Lage funditus evertendam; id
quod datus in pervigilio natalis Joannis
Baptistæ literis ad Episcopum extemplo
se facturos Magistratus & cives rescri-
psere. Arx enim Lage cum Oppido
in comitatu Lippiensi haud secus quam
Horne, Detmoldia, & cætera loca feu-
dum

Lemgovie-
ntes co-
guntur
evertere ar-
cem Lage-
sem.

Oldenb.
p. 105. & lib.
de famil.
emort. pag.
114.

Feodus
cum pluri-
bus Princi-
pibus in-
it. Et Lippien-
ses oppu-
gnar.

dum erat Paderbornense, quo in castro suo nullum hostile præsidium pati voluit.

Gobel. an. 6. c. 88. Tschernach part. 2. pag. 141. Moritur Wilhelmus Dux Montium Wilhelmi Ep. Paderb. Pater.

Tristi post hæc nuncio percussus Wilhelmus Episcopus accepit, Wilhelmum patrem Montium Ducem & Comitem Ravensbergensem VII Calend. Julii excessisse e vita. Quare ad supremos defuncto honores, deferendos & funus deducendum profectus; patrem deinde honorifico sepulchro, in celebri veteris Montis Cœnobio a majoribus condito, intulit, Principem per omnem quidem vitam bellicosum, sed pietate & religione non minus illustrem. Ejus enim liberalitate Collegium Canonicorum Dusseldorpiense donatum institutumque est; Turres S. Severini & SS. Apostolorum in urbe Colonienſi magnifico opere constructæ; & quæ præterea a Gobelino nostro in carmine funebri ab eo conscripto præclare pieque gesta memorantur. Tum demum Adolphus Wilhelmi Episcopi frater plenam ducatus Moritum & Comitatus Ravensbergenſis possessionem adiit.

Wilhelmus Ep. Paderb. agit de Bodecensi Canonicorum Cœnobio convertendo in Monasterium Canonicorum Regularium.

Et Wilhelmus Episcopus noster a funere patris in dicecesin reversus seriorandem Bodecensē Cœnobium in alium statum formandum sumpsit, & quia nihil bonæ frugis a Virginibus Canonicis, quæ illud hætenus incoluerant, sperari poterat, collato cum Canonicis Cathedralis Ecclesiæ consilio statuit evocare Swollis viros religiosos ex instituto D. Augustini, qui ea tempestate florebant, & Collegium Canonicarum Virginum convertere in Cœnobium Canonicorum regularium; movebatque Episcopum antiqua loci sanctitas, & præfens in quam prolapsa erat vastitas. Nam & templum cum Cœnobio Virginum inter rudera jacebat exustum, sola chori aliqua parte superstitē; & bona partim in spoliū cesserant per bella, partim ære alieno obruta erant, eoque Virgines omnes, & Clerici deserta loci habitatione diffluxerant, sola Abbatiſſa in angusto tugurio relicta; nec ullus sacrorum cultus a multis annis in celebri illo loco conspectus erat, nec Virginibus, quæ dissoluta disciplina vagabantur, ulla cura reparandi pristinae habitationem, aut animus redeundi ad communem vitam erat. Igitur ne tam celebre Virginum Collegium a D.

Meinulpho institutum, & tot sæculis a Carolo M. cultum, & tot miraculis illustratum prorsus exfolesceret, primum festo Joannis Baptistæ hujus anni Episcopus pertractavit cum evocato Swollis Priore Joanne Weilio viro religioso & sapienti, desertumque Bodecensē Cœnobium familiæ D. Augustini auctoritate Pontificis excolendum obtulit; id cum ille ad larga certaue subsidii promissa grato animo acceptaret, mense deinde Septembri tractatum est cum exauctorata Abbatiſſa Walburge de Walde super annuo censu pendendo, ex quo honestam exinde vitam aleret; dati in hanc rem a Wilhelmo Episcopo arbitri ex Canonicis Bertholdus Besselinus, Thesaurarius & Widekindus Spiegel Cantor, e nobilitate vero ab ipsa Abbatiſſa delecti Ravenno Brencken, & Hermannus Herte, horum judicio certi annuque redditus Abbatiſſæ sunt attributi, quibus rite confectis, & a Wilhelmo Episcopo approbatis Abbatiſſa se munere abdicavit, Monasteriumque cum patrimonio & possessionibus in manus Episcopi tradidit. Hac super re adfunt apud nos publicæ tabulæ honoratorum virorum testimonio Anno Mccccviii die prima Septembris consignata.

Triumphavit hoc anno, quod præter factos Monasterienses ab Erwinno, & Cleinsorgio scriptum est, Otto Monasteriensis Episcopus de Henrico Solmensi Ottensteinii Dynasta postremo dicecesis turbatore, hostesque inter cæteros acerrimo. Bellum id jam supra ab aliquot annis magna dicecesis perturbatione ceptum exarserat, atque ex levibus, ut fit, initiis in apertam flammam eruperat. Interfecerant nimirum duo nobiles viri Joannem Werfelium Solmensis naturalem fratrem; ac licet Monasteriensis urbis fenatus capitali supplicio animadverterat in nobiles, non tamen acquievit Solmensis; vindictamque fraternæ cadis homo iræ impotens convertit tam in urbem quam Episcopum, prædisque grassando per dicecesin ingentia eidem damna intulit; aususque etiam famosas literas spargere, quibus clarissimum Ottonis nomen calumniis, & injuriis proſcindebatur; ac cum nulli magis se læsos quererentur, quam Castrenses in castro Nienburg ad Dinkelam nobiles, Ottonem Epi-

Coron. Monast. Kerub. in Episc. Monast. Erv. in Chr. of. ab. Cleinsorg. in Chron. W. Spiegel. Otto Ep. Monast. de victo Henrico Solmensi. Ottensteinium Diocesi suæ adjungit.

Gobel. an. 6. c. 88. Theodori Niem. lib. 3. de schism. cap. 18. E. Anton. de Concil. Pisan. c. 5. Concil. Paris.

Episcopum suum appellavere vindicem; & ille prædonum impatiens arma exacuit in Solmensem, bellum palam indicit, arcemque Ottensteinianam, qua se incluserat Solmensis, obsidione incingere cœpit. Ardua erat arcis oppugnatione, quod paludibus undique circumfusis unico tantum per humentem aggerem accessu pateret. Solmensis cum suis se viribus expedire non posset, vicinos Principes, & Comites implorat; quos inter primum se obtulit Adolphus Clivenfis Comes; atque is minacibus literis denunciat Ottoni Episcopo, nisi Solmensem clientem suum obsidione, & bello intactum relinqueret hostem se fore. Nihil his territus Otto, Osnabrugensis Episcopi, urbis Monasteriensis, cæterorumque auxilia sollicitat; horum copiis adjutus arcem Ottensteinianam arctius obsidione premere aggressus est. Tum vero Solmensis sollicitare Rupertum Imperatorem, Ducem Burgundiæ, Comitem Clivensem, Morfanum, Heinsbergium, Seinensem, aliosque Westphaliæ Dynastas. Multæ ab his intentatæ Ottoni minæ; nec tamen Otto se ab obsidione dimoveri passus, interrito ad omnes casus animo perstitit; jamque obsidione in biennium producta, ad extrema deductus erat Solmensis, cum Adolphus Clivia Comes tracto in societatem belli Marciano, cæterisque ad Rhenum inferiorem Dynastis cum numerofo exercitu advolat, Ottonem ab obsidione depulsurus. Quo cognito, Otto Episcopus militem omnem ex præfidiis ad castra evocat, hostique provocanti inter Attenvordiam, & Gescheram 12. Calend. Aprilis occurrit. Post leves velitationes tota mox acie pugnatum, cæsusque ingenti clade Clivenfis ad Rhenum se recepit. Capti

tres fratres Steckii nobiles, jurati Episcopi hostes, Wittenus, aliique cum centum & viginti equitibus, & magna nobilium turba; id quod hoc anno factum memorant Scriptores. Victor Otto Episcopus ad castra, & obsidionem rediit, multoque quam ante pertinacius arcem expugnandam suscepit. Tum vero Solmensis accepta Clivenfis, aliorumque clade abjicere animum, & quia longa simul fame urgebatur, sese atque arcem munitissimam cum omnibus bonis in Episcopi manus dare.

Ac ne Solmensis tot annis dicecesi spoliis & damnis infestus, pro inquieto ingenio ad turbas rediret, iustus est e dicecesi emigrare, arcemque & bona in compensationem damnorum Ecclesiæ Monasteriensi relinquere. Quæ deinde Neomagi in publico Principum conventu a Sigismundo Imperatore Ottoni adjudicata sunt. Solmensis post illa Zurphaniam concessit, ubi ad annum 1422 vitam protraxit, fructu tamen bonorum, quoad vixit, donatus. Filia, quam reliquit unicam hæredem, denupta Guterswichio Dynasta; quo conubio post cætera Solmensis bona ad Benthemenses Comites, & Steinfordenses pervenire: debellato Solmensi, Otto Episcopus exinde dicecesin quietam habuit. Tantum nimirum terrorem vicinis Principibus injecit, ut nemo cum eo bellatore committi veller, auctaque dicecesis hoc postremo ejus bello nobili peculio Ottensteiniano. Nec facile Episcopus ea tempestate per Saxoniam, qui hostes suos omnes felicis ultus, spolia prædonum tanto lucro converterit in Ecclesiæ suæ emolumentum.

Annus Christi 1409.

Alexandri V. Pont. 1. Ruperti Cæs. 10.
Wilhelmi Ep. Pad. 9.

Successit dehinc annus sæculi novus publicis Ecclesiæ malis longe calamitosior; increfcente enim per diffidia Cardinalium schismate inter Gregorium XII, & Petrum de Luna, quem postremum Galli & Hispani fovebant, Cardinales tandem pacis & concordia causa utrumque exauctorandum contendebant; urgebantque ad id Gregorium Pontificem, quod in ipsa electione ju-

ramento adstrinxisse dicerent abiturum se Pontificatu, si publica Ecclesiæ utilitas posceret. Scriptis itaque ad omnes Reges, & Metropolitanos Germaniæ literis, Cardinales Concilium Pisanum indixere. Quibus acceptis, Moguntinus Archiepiscopus misit exemplar ad omnes provinciales suos Episcopos, & Moguntiam post festum Epiphaniæ evocavit; & quia ad Rupertum Cæsarem simul

Raynald.
in hist.
Eccles.
Azoarius
p. 2. lib. 5.
c. 17.
Indicatur
Concilium
Pisanum.

Gabel. 22. 23.
6. c. 88.
Theodori
Niem. lib. 3.
de schism.
cap. 18.
8. Anton.
de Concil.
Pisan. c. 5.
Concil.
Paris.

Chron.
Monast.
Kerjandr.
in Episc.
Monast.
Error. in
Chr. Osnabr.
Cleinberg.
in Chron.
Westphal.
Otto Ep.
Monast. de
victo Hen-
rico Sol-
mensi at-
que Otten-
steinianam
Dicecesi
sua adjun-
git.

simul perscriptum erat, Cæsar quoque sub initium anni in octava Epiphaniæ Francofurti conventum Principum indixit, interque Imperii Principes quoque accessit Wilhelmus Episcopus noster. Multis primum disceptatum est inter duos Cardinales, quorum alter nomine Gregorii Pontificis, alter nomine Collegii Cardinalium advenerat; assensitque major pars Archiepiscoporum Præsulum & Principum Collegii Cardinalium Legato. At Rupertus religiosissimus Cæsar, Archiepiscopus Treverensis, Duces Bavariæ, caterique in fide Gregorii Pontificis perstiterunt. Quo in munere Wilhelmus quoque Episcopus noster refertur a Gobelino; nec enim a Cæsare avunculo suo discedere decorum habuit. Præclarum in his comitiis castimoniam exemplum edidit Simon Wallensteinus urbis Francofurtensis a Cæsare impositus præfectus, qui probante Cæsare omnes, quotquot meretricibus operam dabant albis fasciis palam suspendi iussit.

In quo Alexander V. renuntiatur Pontifici.

Cæptum post Concilium Pisenum XV Martii festo Annunciationis Virginis ingenti Patriarcharum, Cardinalium, Archiepiscoporum, Episcoporum & Præsulum frequentia, multisque sessionibus productum; in quo Gregorio XII. & Petro de Luna, qui se Benedictum XIII. appellabat, Pontificatus abrogatus est, delectusque Alexander V. gente Cretenensis, professione primum Monachus Franciscanus, post Cardinalis, homo nonagenarius. Quo factò hoc unum assensum sunt, ut ad duos Pontifices tertium adderent, & schisma, quod tollere debebant, magna Ecclesiarum perturbatione auferent. Missi ad hoc Consilium Pisas a Ruperto Cæsare Legati Joannes Rigenensis Archiepiscopus, Matthæus Wormatiensis, & Ulricus Ripensis Episcopi, quibus additus Conradus de Sufato, gente Westphalus, Spirensis Canonicus, & professor Theologiæ, qui sub finem Aprilis in confessu Cardinalium nomine Ruperti Cæsaris eruditum scriptum & a Conrado Sultonio Verdeni Episcopo compositum libera voce obrulit; id quia multis quaestionibus, & rationum momentis plenum erat, ne in exauctorando Gregorio laborarent, magnopere fatigavit Cardinales: Facta postremum provocatione a Pisano Concilio ad Gre-

gorium Pontificem, nemine salutato eodem mense Aprili recessere. Quemadmodum hæc acta Concilii a Raynaldo, & Dacherio viris eruditissimis relata multis exponunt. Nunquam enim Cæsar, iique, quos in Concilio suo habuit sapientissimos viros, exauctorationem Gregorii veri Pontificis probavere. Sed his missis ad res gestas Wilhelmi Episcopi nostri redeamus. Is soluto Francofurtensi conventu, salutatoque Ruperto Cæsare avunculo suo, in diecesin Paderbornensem regressus nihil impensius habuit, quam ut ceptam Monasterii Bodecensis commutationem perficeret, exclusisque vagæ & prævæ vitæ Canonicis Virginibus, Canonicos regularis vitæ introduceret. Aggressus quidem id erat anno superiore Wilhelmus ex consilio, & assensu Canonico-rum Cathedralium, virorumque prudentum; verum, ut Gobelinus & Cranzius retulere, rem supra quam crederat, arduam implicatamque expertus est; quando non modo superstites ejus Monasterii Virgines, sed plerique e clero primario & secundo, Vasalli, & nobiles se illi commutationi objecere, ægreque cum primis passa est nobilitas, id vetus a D. Meinulpho institutum Collegium Virginum transferri ad ignobiles, & peregrinæ gentis homines, quod tot celebres e nobilitate Abbatissæ & filiarum familiarum supra sexcentos annos incoluerant; facteri se quidem aiebant, templum, strukturas Monasterii omnes, & disciplinam religiosæ vitæ collapsa esse, sed ea oportere instaurare secundum præcæptam instituti formam, & primam Conditoris mentem; non enim, si domus temporum malo in ruinam confederit, ideo exclusis hæredibus fundum & bona patrimonii danda esse alienis. Multis hujusmodi querelis fatigabatur Episcopus, trahebaturque in odium multorum. Quibus contemptis, Episcopus pari, qua cæperat, constantia instauratorem Monasterii Bodecensis hoc anno confecit. Ac ne importune ac temere procedere argueretur, Abbatissam denuo cum quinque Virginibus, quæ supererant, & Clericis Neuhusum citavit ad iudicium, in quo tam Virgines, quam Clerici, ne quid ullius præiudicio aut injuria fieret, audiantur. Verum cum Virgines nominatim citatæ se non sisterent, Episcopus negotium dedit

Gobel. atq.
6. c. 90.
Cranz. lib.
II. Metrop.
c. 16.
Wilhelmus
Ep. Paderb.
Monasteri-
um Bode-
cense refor-
mat.

Go-

Gobelino Personæ, viro sacrorum Canonum peritissimo, condemnandi Virgines contumaciæ: Inde ipse mense Julio pronunciata palam sententia Monasterium Bodecense transtulit in possessionem Canonorum regularium. Quæ super re hæc mox etiam tabulæ confectæ sunt, quas hoc loco integrius etiam, quam ipse Gobelinus in historia a se scripta fecit, ad posteritatis memoriam, & plenioris rei notitiam proferre in-tererit.

Wilhelmus Electus Ecclesiæ Paderbornensis & confirmatus ad perpetuam rei memoriam. Quamvis Domini est terra, & plenitudo ejus, certa tamen loca pro cultu frequentiori suæ Majestatis immense singularibus signorum indicis plerumque consecrare consuevit, quæ quanto majoris torporis negliguntur incuria, tanto majori negligentes ipsi rei Dei redduntur injuria, qui rursus a Deo neglecti, & in desideria cordis sui traditi nonnunquam in vanitatibus suis evanescent, quod loca & personæ, divinæ justitiæ dispensante secreto, contractatione nutua tabescentes ipsa cum personis loca vilescunt, & quia devius a tramite veritatis veritas dicit: Regnum Dei auferetur a vobis, & dabitur genti facienti fructus ejus, ad honorem nominis divini plurimum cedere non ambigimus, si vepribus & spinis ab agro dominico summittis extirpatis, loca sancta inhabitantium culpa in despectionem deducta novellis olivarum, quas in circuitu mense Domini constitutas propheta commemorat, studuerimus reformare. Cum igitur Monasterium in villa Bodiken nostræ diocesis quondam ab almo Christi Confessore sancto Maynolfo Diacono juxta sæculi fastum viro nobili, quem inclytæ memoriæ Karolus Magnus tunc Rex Francorum & post Romanorum Imperator postquam gentem Westphalorum seu Saxonum Occidentalium fidei christianæ jugo subegit, de sacro fonte levavit, pro congregatione feminarum quæ Canonicæ seculares appellantur, singulari quodam divino miraculo provento, quemadmodum literarum veterum testimonio didicimus fundatum, partim negligentia, partim casibus fortuitis, & malo statu patriæ intercurrentibus sic penitus desolatum esse conspicitur, quod ex omnibus ipsius ædificiis ipsa Ecclesia plus tum simo & im-

munditia ejus testantibus pro receptaculo bestiarum, quam pro divini cultus exhibitione in parte reformari perdurat, & in Capellis eidem Ecclesiæ quondam annexis nunc vero dirutis, imo super ipsa altaria Capellarum, sicut in saltu virgulta succrescunt. Unde tam Canonicæ quam Rector parochialis curiæ, ac etiam Clerici ceteri, sola Abbatiſſa ibidem in tugurio rusticano degente, terram fructiferam tanquam eis versam in fœluginem abhorrentes locum ipsum dudum reliquerunt, Nos ad supradicti loci reformationem pro divini cultus restoratione, pietate curæ pastoralis electi, intensis desiderii aspirantes, ne ficulnea infructuosa rursus terram perniciosius occupet, eundem locum malitia temporis, loci qualitate, & sexus fragilitate pensatis, non sub hujusmodi Canoniarum secularium statu, quem sedes Apostolica approbare non dignatur, sed sub certo per eandem sedem approbatæ religionis titulo, cujus professores sexu virili, non solum carne sed & mente, vigentes inter mundi pericula adversitatis turbo non terret, nec arrisus fortunæ fallacis dissolvit, decrevimus reformare. Hinc est quod Domina Walburgis de Walde Abbatiſſa Monasterii supradicti ad nostram propter prædicta vocata præsentiam de sui negligentia se plurimum excusans, & modo reformationis per nos, ut præmittitur, decreto consentiens, Abbatiam cum omnibus juribus & pertinentiis suis in manus nostras sponte resignavit. Cumque deinde nobis fuisset expositum, quod nonnullæ personæ jus Canonicale, seu Ecclesiasticum, quamvis locum ipsum per annos decem, viginti, vel triginta jam deseruerant in Monasterio præfato sibi vendicantes superessent, Nos ne in præjudicium juris cujusquam videremur ex abrupto procedere, personas easdem videlicet Belyen de Herre, Cunigindim de Welmede, Alheidim Schulten, Cunigindim Lebbinges & Elizabeth de Herre, præsentas Canonicas, Johannem Restick presbyterum curatum & Hermannum Riteveege assertum rectorem Capellæ S. Martini desolatæ ibidem, omnesque alias, & singulas personas utriusque sexus jus Ecclesiasticum in prædictis Monasterio Capellis seu Beneficiis Ecclesiasticis ejusdem se habere prætendentes una cum Domina Walburge olim Abbatiſſa præfata ad certum terminum peremptorie citavimus,

vimus, ut in eodem de titulo Canonico præbendarum, beneficiorum, & juris Canonicalis seu Ecclesiastici, quas & quæ se in privato Monasterio habere prætenderent, nos plenius informarent, & ad concordandum una nobiscum, quantum earum interesset, super reformatione Monasterii prædicti, & ejus translatione ad statum observantiæ regularis, quas ob divini cultus restaurationem & augmentum, ac totius Ecclesiastici status nostræ diocesis supradictæ edificationem digne duximus faciendas, vel ad dicendam vel allegandam coram nobis causas rationabiles, quare reformatio, & translatio hujusmodi fieri non decerent, alioquin ipsarum contumacia seu contraditione frivola non obstante nos in reformationis & translationis negotio prædictarum essemus utique processuri, in quo quidem termino personis supradictis coram nobis legitime non comparentibus, & Domino Gobelino Persona procuratore nostro ad hoc per nos deputato ipsarum contumaciam accusante, Nos easdem reputantes contumaces juxta modum prædictum circa præmissa duximus procedendum, Nos igitur resignationem per Dominam Walburgam supradictam factam, ut prædictum est, tunc per nos admissam & receptam, gratam & ratam habentes cum honorabilibus viris Dominis Præposito & Capitulo Ecclesiæ nostræ Paderbornensis prædictæ tractatu Capitulari, & matura deliberatione præbabit, Abbatiam, Ecclesiam, & Monasterium prædicta cum omnibus juribus, prærogativis, privilegiis, libertatibus, immunitatibus, bonis & rebus mobilibus & immobilibus, terris, agris cultis & incultis, pratis, pascuis, silvis, aquis aquarumve decursibus, viis & inviis, ac pertinentiis eorundem universis honorabili viro Johanni Wail Priori Monasterii Canonorum regularium in Swollis Trajectensis diocesis tradimus, concedimus, & assignamus per præsentem, ita quod ipsa Ecclesia & Monasterio in Bodeke supradictis, prout ei facultas suppetit, reformatis, congregationem convenientem virorum Deo devotorum, Canonorum videlicet regularium, religioni Monasterii sui in Swollis supradicti conformium, juxta ejusdem religionis exigentiam ibidem instituat, præsertim cum S. Maynulfus ejusdem Monasterii fundator supradictus

religionis ejusdem creditur fuisse professor, quorum regimen & gubernatio, visitatio & inquisitio & correctio, atque totius Monasterii tam in spiritualibus quam temporalibus administratio, nec non Prælati sub nomine Prioris institutio, & destitutio apud ipsum, quamdiu advixerit, & quemadmodum ei visum fuerit, libere permaneant. Ipseque de præsentatione beneficiorum Ecclesiasticorum, & bonis emphyteuticis, nec non officiis, rebus aliis quibuscunque, quæ alias ad Abbatissæ præsentationem, concessionem, seu quamvis aliam dispositionem pertinebant, eo modo quo Abbatissa, de eis disponere solita fuit, liberam habeat potestatem præsentandi, & de bonis atque officiis, prout ipsorum bonorum & officiorum qualitas exegerit disponendi, in feudatione bonorum pure feudalia duntaxat excepta, quorum infeudationem nobis, & successoribus nostris reservamus. Cum vero Domino permittente ipse de medio sublatus fuerit, beneficiorum ac bonorum & rerum dispositionem hujusmodi apud Priorem, qui ibidem pro tempore fuerit, volumus perpetuo remanere, qui Præposito Monasterii Canonorum regularium prope Nussiam Colon. diocesis pro tempore existenti & eorum Capitulo generali, quoad visitationem, inquisitionem, & correctionem, Prioris institutionem, & destitutionem secundum modum ordinis eorum ac statutorum subiectus existat, juribus Archidiaconi loci ipsius, & plebani ibidem, nec non ordinis ipsorum Canonorum regularium in præmissis omnibus semper salvis. Nec tamen Prælati, qui eidem Monasterio præfuerit, coram aliquo quam coram nobis & successoribus nostris Paderbornensibus Episcopis, aut illo, cui nos & successores nostri per patentes literas hoc specialiter duxerimus committendum, vel saltem sede vacante coram Capitulo Ecclesiæ nostræ prædictæ quovis modo valeat conveniri, sicque Monasterium in Bodeken supradictum de statu Canoniarum secularium ad observantiam Canonorum regularium de consilio, consensu, & beneplacito honorabilium Dominorum Præpositi, & Capituli Ecclesiæ nostræ prædictorum in Dei nomine transferimus per præsentem. Ut autem præmissa omnia & singula obtineant pleniorum roboris firmitatem præsentem paginam sigilli nostri munimine una cum sigillo Capi-

Capituli supradicti iussimus roborari. Et nos Præpositus, & Capitulum Ecclesie Paderbornensis in signum nostri consensus omnium præmissorum præsentem literam nostri sigilli iussimus appensione muniri. Datum anno Domini millesimo quadringentesimo nono, decima septima die mensis Julii.

Introductis in Bodecense Monasterium Sacerdotibus ac Canonicis regularibus, quos Swollis secum adduxerat Joannes Wailius moderator Swollentis, omnem deinde curam vertit Wilhelmus Episcopus in recuperandis Monasterii bonis, dotandisque novis loci cultoribus; id quod denuo a Wilhelmo Episcopo nostro hisce publicæ auctoritatis literis commissum est Gobelino Personæ.

Wilhelmus electus Ecclesie Paderbornensis. Discreto viro Domino Gobelino Personæ Reçtori Ecclesie S. Andree sito in castro Warberch nostro Capellano salutem in Domino. Cum Monasterium Bodecense nostræ diocesis jam pene desolatum, ob sui & divini cultus reformationem de statu Canonicarum secularium ad statum Canonicorum regularium in personam honorabilis viri Domini Johannis Wail Prioris Monasterii Swollentis Trajectensis diocesis transfulimus, & ad recuperandas res & bona prædicti Monasterii Budicensis alienata seu distracta aliis negotiis arduis prædicti vacare nequeamus, vobis tenore præsentium committimus, & auctoritate plenaria concedimus ad producendum contra detentores, occupatores, debitores rerum & honorum prædictorum, & impedientes, molestantes, aut perturbantes dictum Priorem, vel fratres seu familiam ipsius in negotio reformationis supradictæ, nec non omnes & singulas causas idem Monasterium Budicense seu bona, vel personas ipsius concernentes, audiendi, decidendi, & terminandi cum omnibus, & singulis emergentibus dependentiis & connexis; contradictores, & rebelles per censuram Ecclesiasticam compescendo. Datum in novo castro nostræ diocesis Anno Domini Mccccix ipso die beati Arnolphi Episcopi.

Gobelinus Persona celebris historie nostræ per id tempus scriptor, etsi

hisce literis appelletur Reçtor Ecclesie in castro Warburg; ac Capellanus Episcopi, in aliis tamen literarum nostrarum monumentis inscribitur Officialis curiæ Paderbornensis, Procurator Camere Apostolicæ, & Decanus Bilsfeldiensis; quo postremo munere a Theodorico Administratore demum exornatus est, ut liquet ex Theodorici literis a Meibomio in præfatione operum ejus adductis; & quantum ex his omnibus æstimes, auctor fuit Wilhelmo Episcopo transferendi Bodecensis Monasterii ad Canonicos regulares; idque facile Romæ impetravit, vir tot annis in curia Romana versatus, magnæque apud Wilhelmum Episcopum, & Canonicos Cathedralis Ecclesie auctoritatis.

Cæptum igitur hoc anno instaurari desertum Bodecense Monasterium & reduci cultus divinus. Dura quidem per septem annos initia, quibus optimis viris religiosis cum multis ærumnis & hostibus, qui ægre hanc commutationem ferebant, conflictandum fuit; vicit hæc omnia longa malorum tolerantia, & labores quam invisum primum tam grati postea omnibus, postquam omnium virtutum exemplo, & vitæ sanctimonia in notitiam, & amorem popularium venere; brevique largitione piolorum hominum instaurata Basilica, & florentissimum opibus & multitudine religiosorum doctorumque hominum sterit Cœnobium; uti hæc omnia florentem religiosæ vitæ disciplinam consequuntur, languentem deserunt. Compertumque in hac diocesi, quod & in aliis memorabile fuit. Deum per religiosos Canonicos cleri populique collapsos mores instaurasse.

Vix dum Bodecense Monasterium in meliorem ordinem composuerat Wilhelmus Episcopus, cum novus illi, multoque implicatior labor objectus in Abdinghoviano ordinis D. Benedicti Cœnobio reformando. Duplici id malo dissidio laborabat inter Abbatem, & Priorem, quem Henricus Abbas munere suo deiecerat, alio in locum ejus reposito, ob quod ille ad Episcopum, ut judicem Abbatis appellabat. Huic alterum malum priori multo pejus accesserat, dissoluta videlicet religiosæ Cœnobarum disciplina non sine publica

Y y

offen-

offensione populi. Quare statuit Episcopus mense Octobri Cœnobium intrare, & facta conquisitione pravorum Monachorum mores emendare. Quæ postquam ab Abbate cognita fuere, lautum ille instituit convivium, ad quod primores e clero, senatu, & civibus invitati adfuere; plerique etiam muneribus corrupti, eo cum primis consilio, ut horum favore se adversus Episcopum præmuniret. Nec multo post Episcopus cum multis Ecclesiæ præsulibus Cœnobium ingressus, convocatisque Monachis cepit cum iis pertractare. De disciplina in melius formanda. Quo in opere dum versatur simul ingens turba civium cum Consulibus, tribunis plebis, & præfectis Cœnobium ex condicito intrat, seseque in locum concilii Ecclesiastici ingerit. Quos cum Episcopus exire juberet, moneretque juramento sibi præstito libertatis Ecclesiasticæ memores essent, illi prorervis vocibus respondere, non prius se abieruros, quam ab Abbate imperium exeundi acciperent. Et Monachi, ut se correctioni per Episcopum ceptæ eximerent, concepta audacia ad superius tribunal appellavere; ita re infecta Episcopo ob concitatum plebem discedendum fuit. Nec tamen ob id destitit Episcopus Abbatem & Monachos publicis privatisque monitis ad saniores mentes revocare; quibus cum nihil proficeret, Abbatem & Monachos atque urbem interdicto sacrorum, & censuris Ecclesiasticis perstrinxit. Ad quæ cum Abbas ad Alexandrum recens in Concilio Pisano electum Pontificem appellaret, eique Clerus adhereret, Episcopus a Capitulo rogavit, utrumne cum Alexandro Pontifice faceret, quod ipse Gregorio Pontifici haberet, respondere hac super re sibi prius consulendum Capitulum Hildesiense, & Halberstadense, quibuscum fraternitatis societatem colerent. His frustra tentatis, Episcopus ex urbe recessit; ac vix cum castrum novum ingressus erat, intelligit Capitulum convocato clero decrevisse stare cum Alexandro Pontifice, veritus inde Episcopus, ne controversiam inter duos Pontifices in se traheret, & de Episcopatu periclitaretur, si nimirum Clerus Alexandrum, ipse Gregorium sequeretur, litem cum Capitulo, & clero abrupt; rursumque Monachos aggressus Monasterium correctionis

gratia intrat; verum cum nec Abbas nec Monachi se siserent, atque ad omnia monita multo quam ante contumaciores deprehenderentur, anathematis sententia percussit, quam & publice per omnes Ecclesias promulgavit. Quo laqueo indutus Abbas ut se expediret, Romam profectus Alexandrum Pontificem adiit, ubi multis sumptibus & muneribus rem eo tandem deduxit, ut reclamationem ab anathematis vinculo & interdico impetraret. Tantum publicum Ecclesiæ schisma etiam privatis locis nocuit, cum in Italia duo Pontifices considerent; tantaque per id tempus Cleri & civium adversus Episcopum suum ex corruptis moribus erat insolentia, eaque temporum malitia, ut nec morbi medelam ferrent.

At non his turbis dejectus Wilhelmus Episcopus destitit monitis & minis urgere Abbatem & Monachos, ac nisi ad instituti formam, a qua abierant, redirent, extraque claustris septa mulieres repellerent, fore ut obstinati ad carceres raperentur; quod cum illi ad clerum, & cives referrent, horum animi magis exacerbati in Episcopum, Monachorum defensionem multo concitatus suscipere; ausi etiam jactare se ita fatigaturos Episcopum, ut ipsi prius, quam Abbati munere abundum sit. Et plerosque e clero tum conspiratione facta cum Monachis Episcopo se objecisse haud mirum videri poterat, quod Monachis in ordinem redactis, idem sibi ab Episcopo imminere timerent. Rebus in hunc modum conturbatis Episcopus ad Rupertum Cæsarem avunculum suum appellat; & huic cum omnem controversiam per Legatos & literas exposuisset, Cæsar Monachum quandam senem & gravem ordinis D. Benedicti, virum religione & auctoritate conspicuum, a quo jam quinque Monasteria superioris Germaniæ in meliorem formam redacta erant, Heidelbergam ad se evocavit, eumque cum alio sacerdote Monacho Paderbornam Wilhelmo Episcopo transmisit, experturus primum leniora consilia, quam vi adversus rebelles Monachos & cives procederet, venit senex ille Monachus Paderbornam; sed neque ab Abbate & Monachis, neque a Clero, neque a primoribus ullo caritatis obsequio exceptus; præter unum cleri-

Gobelin,
stat. 6.
Theodor.
a Niem.
in calce
S. Anton.
3. p. tit. 2.
Raynald.
hist. Ecc.
Spangb.
Breuer.
annal. Tr.
vir.
Ursberg.
Paralip.
Calvisius.
Chrou. M.
Belgi.
Mertuo
Alexandr.
V. Pontif.
ci sufficit
Joannes
XXIII.

clericum, a quo paucis piris donatus. Atque is, ubi se nihil efficere conspexit, ad Episcopum, qui se in castro novo & conspectu urbis continebat, se contulit, a quo post quintum inanis laboris mensem ad dicecesis Eistadensis Monasterium, unde accersitus erat, remissus est. Inde omnis ira vindictaque Abbatis, Cleri, & civium conversa in Ecclesiasticum Episcopi judicem, tanquam primarium in hoc negotio Episcopi administrum; cujus vita postquam primum veneno frustra tentata, tum tot injuriis & dolis est oppugnata, ut palam in synodo Cleri convoca-

ta edixerit, sibi ex urbe securitatis causa emigrandum esse; quod & anno sequenti fecit, translatoque secum iudice Ecclesiastico Bilsfeldiam, ea in urbe, quod dicecesis Paderbornensis esset, frustra reclamante Capitulo, sedem fixit; ubi benignioribus, quam Paderbornæ incolis exceptus est. At quominus Episcopus tantam injuriam, tantamque rebellionem in præsens ultus sit, fecit & mors Imperatoris, & grave bellum cum Colonienfi Archiepiscopo, quæ duo mala anno proximo consecuta sunt.

Annus Christi 1410.

Joannis XXIII. Pont. I. Ruperti ultim. Sigismundi I.
Wilhelmi Ep. Pad. 10.

Sequitur nunc annus Christi millesimus quadringentesimus decimus, qui post decem mensium Pontificatum sustulit Bononiæ Alexandrum V. Pontificem in Pisano Concilio electum. Solitus is referre se divitem fuisse Episcopum, pauperem Cardinalem, & mendicum Pontificem; mirumque magis videri poterat virum ante professione Monachum, ætate jam nonagenarium, illo conturbato Ecclesiæ statu admisisse Pontificatum. Haud multo post favore Cardinalium Gallorum sublectus est tertio Maji Balchazar de Cofla Neapolitanus Cardinalis Bononiensis appellatusque Joannes XXIII. Hujus Pontificis electione, ut Gobelinus noster inquit, multi offensi, seu quod commendatione Ludovici Galliarum Regis, tum Siciliam affectantis, per Cardinales Gallos electus esset: seu quod vanitati deditus, multisque vitiis obnoxius palam compertus esset; ob quæ post etiam in Concilio Constantiensi Pontificatus illi abrogatus. Penetravit in ejus præsentiam & notitiam Gobelinus noster, qui per id tempus, ut de se refert, in Italia versabatur, haud dubio a Wilhelmo Episcopo missus ad expediendum negotium adversus Abdinghovianum Abbatem; Clerum, & cives Paderbornenses sibi adversantes, obtulitque huic Pontifici hymnum, quem de B. Virgine composuerat, quem & Pontifex hic probavit.

Ad Pontificis funus accessit Ruperti Imperatoris; ita enim Gobelinus;

post coronationem Joannis Pontificis, quæ VIII. Calend. Junii peracta est, statim D. Rex Robertus defunctus est, quem Trithemius XXI. alii XVIII. Maji Oppenheimii ad Rhenum excessisse scribunt. Certe Heidelbergæ in Epitaphio ejus XV. Calend. Junii dies mortis describitur. Cæsar fuit pietate in Deum, religione in Gregorium Pontificem & Ecclesiam, clementia in populos, justitia in omnes egregius. Funus Heidelbergam deductum; ubi in Basilica a se constructa sepultus fuit, hoc epitaphii elogio decoratus: *Rupertus Dux Bavarie, Comes Rheni Palatinus, Romanorum Rex, justus, religionis & pacis amator, dignus Deo visus, qui pro justitia pateretur: Hujus sacræ ædis & Collegii institutor, hic cum castissima conjuge Elizabetha Norici montis Burgavia quiescit vita functus anno Christi Mccccx Calend. Junii xv.* Bellicam quidam fortitudinem majorem ab eo desiderant; sed ejusmodi Imperium illa tempestate erat, ut sanum caput languidum corpus erigere non posset.

Ejus morte tantum vulnus Wilhelmi Episcopi animo impressum, quantum in avunculo Ecclesiæ suæ familiarique patronum se amisisse sensit. Sed haud levius ejus excessu conturbatum Imperium, quod Electores magnopere ancipites, & discordes in successore deligendo essent, aliis Jodocum Moraviæ Marchionem Wenceslai patruelem, virum nonagenarium, aliis Sigismundum Ungariæ Regem Wenceslai fratrem ad

Trithem. in Chron. Spanb. Serrar. in Mogunt. histor. Cuspinian. in Ruper. Moritar Rupertus Imperator.

Succedit Sigismundus

Gobelin. usat. 6. Theodor. a Niem. in calce l. 2. S. Antonin. 3. p. tit. 22. Reynald. in hist. Eccles. Spangeb. Bravver. in annal. Trevir. Ursberg. Paralip. Calvojus. Chron. M. Belgii. Meruo Alexandro V. Pontifici sufficitur Joannes XXIII.

Imperium deposcentibus; rem cæteris exactius describit Gobelinus noster. Quare ejus verbis adscribam. *Eodem mense (scil. Septembri,) Principes Electores convenerunt apud Francfurtam pro Rege eligendo, & Archiepiscopus Trevirensis, Ludovicus Dux Heidelbergensis Palatinus Rheni, & Burggravius Noribergensis, hinc procurator Marchionis Brandenburgensis, quantum ad eligendum, elegerunt Dominum Sigismundum Regem Ungariæ, fratrem Regis Bohemiæ, ad quem tunc spectabat Marchia Brandenburgensis, in Regem Romanorum, Archiepiscopi Coloniensi & Moguntinensi adhuc in deliberatione persistentibus. Sed Rex Bohemiæ, & Dux Saxonie ad electionem non venerunt, & hæc electio facta fuit xx die dicti mensis. Et statim Archiepiscopus Moguntinus mandavit Ecclesiis Oppidi Francfort non aperiari, ne illi, qui elegerant, electionis suæ publicationem & solemnitationem perficiendi haberent facultatem. Unde illis venientibus ad fores Ecclesiæ, nec ingressum habere valentibus, publicatio retro chorum ipsius Ecclesiæ facta est per eosdem; Et postea Moguntinensi & Coloniensi Archiepiscopis iterum convenientibus Jodocus Marchio Moraviæ vir grandævus per ipsos in Regem est electus. Ita vero ad schisma Ecclesiæ accessit dissidium Imperii ex discordi Regis electione.*

Gobel. anat. 6. c. 91. Tschernach Archiepiscopus Coloniensis & Comes Clivensis Diocesis Paderb. insertantes a Delbruggensibus caeli repelluntur.

Hos inter publicos Imperii fluctus exarsit hoc anno privatum graveque bellum inter Fridericum Coloniensem Archiepiscopum, & Wilhelmum Paderbornensem Episcopum nostrum. Id licet multis denarret Gobelinus, nulla tamen dissidii bellive hujus causa indicata; nisi quod scribat Coloniensem Archiepiscopum traxisse in societatem armorum Adolphum Cliviæ & Marchiæ Comitem, unoque repentino impetu cum valido exercitu, multisque bellicis instrumentis irrupisse in dicecesin Paderbornensem.

Transito igitur ad Lipstadium Oppidum Luppia flumine per angustum viæ tramitem undique paludibus, & fossis incinctum, xviii die Decembris Delbrugiam ingrediuntur; quorum adventu cognito, Delbruggenses, quos vicinus rumor ad arma conciverat, conglobatis turmis occurrunt, hostiumque

ingressum ad aliquot horas inter angustiarum fortiter agrestibus telis, hastisque pugnando, retardant; donec hostium obruti multitudine inermes armatis cedere, & per paludum ambages se recipere in tutum necesse fuit. Inde hostis libere effusus in Delbrugiam ferro flammaque vicinas villas evasare. Neque Episcopo quicquam de irruptione cognitum fuit, priusquam e castro novo ac sede Niehusiana flagrantium villarum flammam & fumorum globos in aere conspiceret, emissisque exploratoribus disceret Archiepiscopum & Clivensem Comitem cum potentibus copiis intrasse dicecesin. Ille vero cum ad tam subitam irruptionem reprimendam nec provincialem militem haberet, nec consultum duceret hosti temere cum paucis obviam ire, distulit eo die Delbruggensibus subvenire, Archiepiscopus vero ac Comes licet constituerant Delbrugiam Oppidum eo die exurere, & castra proferre in dicecesin; ea tamen nocte frigoris & hiemalium injuriarum impatientes Delbrugiam permansere, milireque per domos sparso noctem illam poculis & alto somno transegeret; donec balista, tela, ac cætera bellica instrumenta, quæ multis curribus sequebantur, castris adessent. Quo comperto, Delbruggenses ea nocte clam hostibus ad arma convolant, relictis domi uxoribus, quæ comestantibus omnia large ministrarent, tractarentque ad genium militarem hospites; viri interim aditum per paludes, per quem Archiepiscopus & Comes intrarant, armati occupant: plaustra, quæ militaribus instrumentis onusta jam advenerant, intercipiunt: aditum a tergo hosti recidunt, ac præmuniunt; quo cum Archiepiscopus ac Comes cum equitatu & peditatu advolarent, reperere Delbruggenses, & omnem illam ferocem agrestium turbam consistere in armis, transitumque inter paludes & fossas munimenti instar insidere. Diu multumque caeca nocte pugnatum; & Delbruggenses, postquam supra quatuor millia telorum suorum absumpsissent, balistas, tela, armaque paulo ante intercepta vertunt in Archiepiscopum & Comitem, hostemque suis armis repellunt & disjiciunt. Quo inopinato casu consternatus Archiepiscopus & Comes, rati rem ex insidiis & composito agi, tanquam Delbruggenses tam diu impetum sustinerent, donec

a ter-

Gobelin. Chron. M. Belgii Langus in Chron. Citic. Errar. in Mogunt. hist. Eruber. lib. 18. annal. Historia Boica, Mortuo Jodoco Moraviæ Marchione a quibusdam in Regem Germanorum electo, foris regnat Sigismundus jam unanimitate electus.

a tergo Episcopus Paderbornensis e castro novo armatus accederet, militem suum ab eo loco deducunt, aliumque per paludes reditum quarunt ad Luppiam. Verum aliis hanc viam, aliis aliam frustra per paludes tentantibus, omnes panicus timor ea nocte fatigavit, confusosque huc illucque disjecit; quorum permulti a Delbrugenfibus aut telis confossi aut trucidati fuere.

Postremum illucescente die Wilhelmus Episcopus cum provinciali milite, cui multi Paderbornenses cives ultro se junxerant, Delbrugenfibus laborantibus opportune adfuit, armatusque se hosti in conspectum dedit. Harebat ille partim paludibus penetrandis occupatus, partim in aperto campo explicatus. Quo prius explorato, Paderbornensis demum signa intulit, congressusque praelio hostes cum magna clade in fugam abjecit. Capi trecenti sexaginta sex armati viri; quorum major pars e nobilitate, & civibus Sufarenfibus erat; caeteri complures: octingenti militares equi abducti: ingens pecunia ex praedis, captivisque conflata; Archiepiscopus & Adolphus Comes Clivensis, relictis signis militaribus, ægre per paludes eluctati evasere. Fugientibus inhære Delbrugenfes, &

majori etiam strage, quam ante inter paludes obrivere; visique sunt veteri Bructerorum fortitudine Delbrugenfes, pugnacissimos gentis animos resuscitasse; sicuti & ipsi illustrem hanc victoriam sua virtute partam certis versibus posteritati consignarunt.

Millia bis duo CC.... Quinta Kalendas, Decembris mensis nos undique terruit lensis,

Comes Clivensis, Præsul quoque Coloniensis,

Cives Sufati, plures famuli, & benenati,

In hac Parochia fregerunt horrea multa,

Ædes per illas combusserunt quoque villas,

Nulli parcerunt, Pastorem vulneraverunt,

Quorum prostrati sexenti sunt numerati,

Sunt captivati, Deo laus Baptista Joanne.

Bello hoc Fridericus Furstenbergius vir ab anno 1388 omnibus Westphaliæ bellis clarus, fidusque Colonienfium Ecclesiæ miles Friderico Archiepiscopo adstitit, quem etiam Archiepiscopus ob fidam operam, damnaque accepta large remuneratus est.

Annus Christi 1411.

Joannis XXIII. Pont. 2. Sigismundi Imp. 2.

Wilhelmi Ep. Pad. 11.

Fluctuabat per hæc Respublica in alterum annum inter duos Reges electos, quos tamen motus brevi mors diremit. Quippe Jodocus Marchio Moraviæ designatus Rex, cum ad ineundum regnum iter Francofurtum susciperet XIII Calend. Aprilis absque liberis morte decessit, gesto tantum per quinque menses inani regni titulo. Quare Imperii Electores ac Principes suffragiis in integrum redactis, mense Julio, nemine jam discrepante, Sigismundum Romanorum Regem dixere. Ac memorabile, cum Sigismundus a Moguntino velut Elector Brandenburgicus vocatus accessisset, eoque ob regiam dignitatem primæ ferendi suffragii partes oblatae essent, rogassentque caeteri, quem Regem nominaret. Me, inquit, ego novi, non perinde alios, cum nesciam, an quisquam alius æque idoneus sit capeffendi orbis Imperii. Quo candore Sigismundi

delectati Electores communi assensu Regem salutavere.

Princeps, sane fuit, ut eum Trichemius, alique virum fortem, strenuum, sapientem, justum, & christianissimum appellent; ornabatque regiam majestatem corporis proceritas, religio in Deum, munificencia in omnes, eruditio & linguarum multarum peritia; quippe qui præter theutonicum idioma linguam latinam, Italicam, Gallicam, Bohemicam, Sclavicam ita calleret, ut singulis congrue loqueretur; sed omnium operum ejus præstantissimum, sustulisse diuturnum tandem schisma Ecclesiæ, quo quantum laborarit facta postremorum annorum testabuntur. Quam dissimilis Wenceslao fratri, tam ad patris Caroli IV Imperatoris indolem ex omnium virtutum lineamentis factus, creditusque passim divino munere obti-

Gobelin.
Cbron. M.
Belgii
Langius
in Chron.
Citiæ.
Serræ. in
Mogunt.
hisor.
Brouver.
lib. 18.
annal.
Historia
Boica.
Mortuo
Jodoco
Moraviæ
Marchione
& quibus
dam in Re
gem Ger
manorum
electo, fos
lus regnat
Sigimun
dus jam
magister
electus.

obtigisse Imperator, qui turbatissimum Ecclesie statum restauraret, tam pacis artibus, quam bellica virtute & felicitate clarus.

Bellum inter Archiepiscopum Colonienf. & Episcopum Paderbornensium, at per arbitros componitur.

Bellum quod inter Colonienfem Archiepiscopum & Paderbornensium flagrasse diximus, hoc anno rursus fumare & scintillare cepit. Nam cum superioris anni ignominiosam fugam clademque in Delbrugia acceptam decouere non posset Archiepiscopus, renovata cum Adolpho Clivenfi, & Marcano Comite conspiratione, dissipatas copias instaurant, Briloniamque, Rudenam, Gesekenam, Lipstadium, aliasque finitimas civitates, ingenti praesidiariorum milite implent; & quia aperto bello non ausi sunt sunt congregari, praedis & incursionibus vicinos agros infestare. Nec segnior Wilhelmus Episcopus noster hic conatibus hostium provinciam militem ad fines dicecesis tutandos objecit; inde mutuis incursionibus, praedis, & velitationibus actum, dum Episcopus noster federe se cum vicinis Ducibus, Comitibus, nobilibus, & Baronibus firmaret, quos supra viginti mox in armorum societatem traxit; horum confirmatus auxiliis Colonienfem dicecesin ingressus, ultusque praedis praedas, Oppidum Calenhartum expugnatum flammis absumpsit. Et quamvis haec urerent Colonienfes, & Marcanos, nunquam tamen Archiepiscopus, & Comes ausi Paderbornensium dicecesin armati intrare; ita priora terrebant vestigia. Celebris ac bellicosus per id tempus Joannes Bavarus Comes Palarinus, Leodiensium, electus Episcopus, Wilhelmi Comitum Hollandiae, Frisiae, & Zelandiae frater, non tam suis quam familiae viribus potens; hunc Colonienfis Archiepiscopus implorat belli socium; & ille pronus ad auxilium, contracto milite, se Archiepiscopo, & Clivenfi jungit, ac mox tanquam totius belli moderator Paderbornensi Episcopo per facialem bellum denunciat, ratus fama adventus sui ultro Paderbornensium arma posturum. Nihil his commotus Paderbornensis adventum se hostium praestolari renunciat. Igitur Colonienfis, Leodiensis & Clivenfis cum

ingenti exercitu ad fines utriusque dicecesis progressi, inter Briloniam, Rudenam, & Gesekenam in aperto constiterunt; quibus & Paderbornensis cum provinciali equitatu & peditatu obviam processit, instructus cum primis lanceariis, quorum supra mille a foederatis submissos produxerat in aciem, stabat in conspectu uterque exercitus, neutro tamen praelii initium sollicitante. Et vero quia Colonienfis non tam ad pugnam quam terrorem aderat, tantumque expectare visus, ut Paderbornensis ultro se primum ad captivos laxandos offerret; id cum Paderbornensis non faceret, majorique etiam constantia lancearios suos ostentaret in campo ad praelium paratos, intervenere utrimque amici & arbitri, multisque inter partes pertractatis pacem sanxere, quae ea lege inita, ut captivos ex Delbrugenfi clade quisque are suo redimeret; nec enim Paderbornensis Episcopus ex injusto sibi bello illato quicquam remittere voluit; ex eo lytro decem millium florenorum summa constata est, quam partim in redimenda castra, partim in res sacras, partim in militum largitiones convertit. Ita postquam novem magnis utriusque dicecesis depopulationibus, & damnis decertatum fuerat, sexto demum die Septembris ab armis discessum est.

Eo bello tam celebre Episcopi Paderbornensis nomen postea fuit, ut nec quisquam vicinorum Principum Comitumve cum eo armis committi voluerit, nec dicecesin infestare ausus fuerit. Quemadmodum haec Gobelinus praefens eorum temporum scriptor memorat, mirificeque dilaudat Wilhelmi Episcopi liberalitatem, qua omnium militum animos ad se attraxerit. Nam cum ex praedis omnia fere militibus relinqueret, tum supra ducentos equos fortiter pugnantibus dilargitus est; mire praeterea affabilis, quo consecutus, ut domestici extraneique se ad ejus militiam offerrent, pluraque ex angusta dicecesi, quam ex ampla conficeret Colonienfis Archiepiscopus; cui quod arcta ad liberalitatem manus esset, arcta etiam fortuna ejus successus complexa est.



ANNUS

Serran. i.
Mogun.
hisp.
Raynald.
in hist.
Eccles.
Naucler.
Aratus
in hist. la.
Brouer.
lib. 18.
Coron.
Citizen.
Calvus.
Dilident
inter se A.
chiepisco-
pus Mos-
guntius
& Landgr.
viusialia

Sigimund.
di Imp. ge-
sta.

Annus Christi 1412.

Joannis XXII Pont. 3. Sigismundi Imp. 3.
Wilhelmi Ep. Pad. 12.

Serrar. in
Mogunt.
hifor.
Raynald.
in hifor.
Ecclef.
Nauclerus
Aretinus
in hif. Ital.
Brewer.
lib. 18.
Cöron.
Citizenfe
Calvifus.
Diffident
inter fe Ar-
chiepifco-
pus Mos-
guntinus
& Landgra-
vius Italiae.

Bellum quoque per id tempus fuit inter Hermannum Haffia Landgravi-um & Joannem Naffovium Moguntinum Archiepifcopum Metropolita-num noftrum; queftusque magnope-re Moguntinus, Landgravium Marefchallum & juratum vafallum fuum, cujus præterea tota provincia juridi-ctioni facrae Moguntini Archiepifcopi fubjecta effet, arma fumere adverfus Moguntinam Ecclefiam, eamque spo-liis & incurfionibus prædonum deva-ftare. Quæ eo etiam fœdiora erant in chriftiano Principe, quod majores e-jus, & tota Haffia Chrifti religionem a Moguntinis Epifcopis antiquitus edo-cta acceperit, ideo confidere Deum fi-bi in tam ingrato hofte repellendo ad-futurum. Interim quia Archiepifco-pus non modo Alexandro Pontifici ex Piſano Concilio, fed & Joanni xxiii hærebat ex ſchiſmate, Gregorius XII Pontifex Landgraviæ ad fe appellantis, & contra Archiepifcopum fuum Catho-licorum partes tuentis patrocinium fufcepit, eique ſicut cæteris per Saxo-niam Principibus publico diplomate multa privilegia indulſit; interque alia Clericis per Haffiam poteftatem fecit, quemlibet Epifcopum adeundi, a quo confecrarentur; populo fimiliter facul-tatem dedit, deligendi ſibi ſacerdotes, modo idonei ſint, a quibus Sacramen-ta ſibi adminiftrarentur, per quos etiam ex ſchiſmate Eccleſiæ reconciliari poſ-ſent; idemque Pontifex, ut Germa-norum Præfules ſibi devinciret, Wer-nerum Trevirenfem Archiepifcopum, Rabanum Spirenfem Epifcopum, & Conradum de Suſato Wormatienfem Præpoſitum, gente, ut diximus, Weſt-phalum in Cardinalium numerum co-optavit; adeo commune per id tem-pus ſchiſma Germaniam & Saxoniam etiam conturbabat.

Tanto nunc follicitior Sigismun-dus Cæſar, omnes curas, omniaque conſilia ad publicam Eccleſiæ pacem reddendam convertit; quamvis hoc al-tero Imperii anno multum regni Un-gariæ & Bohemiæ turbis præpeditus, belloque etiam ancipiti cum Venetis

commiſſus, ea, quæ verfabat cum ani-mo, aggredi nondum licuerit. Interim fœdere cum Uladiſlao Poloniæ Re-ge inito, Marchiaque Brandeburgica per Marchionem Olnozbacenfem in fidem accepta, a Joanne xxiii Pontifice, cui ſe addixerat, in Italiam ad inſignia Imperii capeſſenda evocatus fuit; eo prærior etiam ad imperata, quod a Pontifice regnum Ungariæ poſteris hæ-reditarium obtinere confideret.

Ea in Eccleſiæ perturbatione inter duos Romanos Pontifices mirum, quan-ta cleri populique diſſolutio & inſolen-tia adverſus ſacrorum Præfules; qua haud leviter jaçtatus Wilhelmus Epi-ſcopus noſter. Is quidem anno ſupe-riori potentiffimos hoſtes feliciter ob-triverat, totamque diceceſin ab exteris quietam poſſidebat, nec tamen ab in-teſtinis malis liber eſſe potuit. Provo-carat ille cives ob conſpirationem cum Abbate Abdinghoviano ad tribunal Ru-perti Cæſaris. Verum Cæſare Epifco-pi avunculo mortuo, multo pertinacius cives in conſpiratione cum Abba-te & turbulentis quibusdam clericis per-ſiſtunt. Id cum eo minus ferendum eſſet Epifcopo, quod & judicium Ec-cleſiaſticum Biſfeldiam tranſlatum Pa-derbornæ ſecurum non eſſet, & ceteri Clerici miniſtrique multis injuriis tra-çtarentur a civibus, ipſe pacis & con-cordiæ cauſa appellavit ad arbitros, vi-cinos nimirum Epifcopos, Principes & Comites, paratus quidquid horum judicio decideretur, ſe acceptaturum; quod cum & Capitulum & cives de-trectarent, Epifcopus cives evocavit ad tribunal extra urbem in aperto cam-po; atque ut extra metum res tranſi-geretur, quingentos lancearios, quos aſſeſſe juſſit, dimiſit. Sed nec ullus ci-vium ex urbe prodire dignatus. Quo Epifcopi ſui contemptu offenſi miniſte-riales quidam cæpere prædis & capti-vitate exagitare non modo cives, ſed & Capituli miniſtros. His exacerbati ci-ves, & plerique e Capitulo, nova fa-çta conſpiratione Comitem Bernardum de Lippia ſibi deligunt moderatorem diceceſis, abjuratoque Epifcopo Comi-
ti

Rebellio
Capituli &
civium Pa-
derbornæ
contra Epi-
ſcopum
ſuum.

Sigismun-
di Imp. ger-
ſa.

ti juramentum dicunt; quod ille tanto foedius admisit, quod & Episcopi vasallus esset juramento obstrictus, ac paulo ante Episcopus filium ejus e fonte baptismatis levasser. Accessere in hanc conspirationem tria Oppida Warburgum, Brakelena, Borchentricum, cum quinque vasallis Episcopo perfidis. Cæteri ministeriales & Oppida scedere cum Episcopo renovato in fide permansere. Partibus in hunc modum collisis, flamma intestini belli erupit. Actum utrimque publicis literis & prædis, frustra quoque Episcopo etiam ad judicium regium, quod tum in Westphaliae provinciis obtinuisse auctoritatem scribit Gobelinus, provocante, arma adversus rebelles corripuit, confisusque vicinorum Ducum, Comitum, Baronum, & nobilium suorum auxiliis, cum agmine mille & trecentorum Lanceariorum, magnoque peditatu in conspectum urbis progressus est; quos cum ex altera urbis parte castra figere jussisset, ipse ex altera parte urbis tribunal erexit, civesque juxta ac Canonicos ad judicium vocavit. Horum quia nemo prodiiit, Episcopus versis armis in conjurata Oppida Warburgum, Brakelenam & Borgentricum, agros eorum perva-

stat, graviora etiam Paderbornensibus intendendo. Id vero malum ne longius serperet, intervenit Bernardus Dux Brunsvicensis cum proceribus Westphaliae, urbemque & Episcopum in Oppido Luiden ea lege composuit, qua cives certam pecuniae summam intra sex menses in poenam rebellionis penderent, cætera jure disceptando æquarent. Ita quidem tum conventum, & ab armis discessum; verum nihil horum præstitere cives, regressive ad rebellionis cæpta Bernardum Lippensem Comitem advocant, quocum interea novum foedus inierunt contra Episcopum, in quod cætera quoque Oppida cum Capitulo conjuraverunt. Inde omnia rursus spoliis, & hostilibus armis per diœcesin misceri. Ea tum urbium passim per Saxoniam luxu, & opibus abundantium insolentia erat. Sed Episcopum quoque sua poena ex rebellionis civium consequi visa, quem nulla adhuc sacerdotali consecratione præditum in throno Episcopi conspexerant; compertumque, religione sacrorum multo saepe potentius trahi populos ad obsequium & venerationem Episcoporum, quam inculto armorum terrore.

Annus Christi 1413.

Joannis XXIII. Pont. 4. Sigismundi Cæs. 4.
Wilhelmi Ep. Pad. 13.

Gobelin.
arat. 6.
Theodor. a
Niem.
Nauseler.
Chron. M.
Belgii
Raynald. in
hisor. Ec-
clesiæ.
Brevier.
lib. 18. Tre-
vir.
Cuspinia-
nus.

At nihil interea Sigismundus Imperator, quem anno superiori a Joanne Pontifice in Italiam invitatum diximus, sollicitus habuit, quam ut cum Pontifice de calamitoso schismate tollendo, quo jam per 30 annos lacerata Ecclesia, coram tractaret; id cum ante Imperator per literas & legatos constanter egisset, tum non aliud præsentis hujus mali remedium habebat; quam Generale Concilium a Pontifice sollicitatum; verum cum multa occurrerent de loco, tempore, ac modo, Pontifex duos Cardinales Legatos cum amplissima potestate misit ad Imperatorem, a quibus Constantia urbs Imperatoria locus Concilii est nominatus. Non illo satis habebat Imperator, sed ipse in Italiam itinere suscepto cum Pontifice coram agere volebat. Constituerat enim in Galliam, Hispaniam, Britanniam proficisci, & ut postea fecit, summa Christianæ Reipublicæ capita adire, ad concordiam Ecclesiæ

tandem reddendam. Igitur Lautia in Gallia Cisalpina cum Pontifice congressus, permovit, ut anno sequenti Constantiæ Generale Concilium indiceret, ad quod etiam Pontifex scriptis ad omnium nationum Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, ac Præsules Ecclesiarum literis singulos invitavit.

Sed & alia convocandi Concilii urgebat causa Imperatorem Hussitarum videlicet hæresis, quæ auctore & hæresiarcha Joanne Hus Bohemio Sacerdote primo scholas & urbem Pragensem corruerat. Inde jam per aliquot annos sub Wenceslao Rege mortalium ignavissimo impune magnoque populi & nobilium plausu grassabatur per totam Bohemiam; ac nihil ex hac peste propius erat, quam ut depravato morum sæculo vicinas provincias, totamque Saxoniam, & Germaniam inficeret.

Inicia He-
retis Hussi-
tæ.

Enim

Alia Con-
cili.
Cochleus
Aeneas
Sylvius
Nauseler
Gobelinus
Cron. A.
Belgii.
fol. 3. p.
Raynald.
in hisor.
Ecclesiæ.

Abba Con-
cili.
Cochlæus.
Aeneas
Sylvius
Nauclerus
Gobelinus.
Chron. M.
Belgii.
fol. 3. 9.
Raynald.
in hist.
Ecclesiast.

Enim vero hæc pestilentissima Huffitarum hæresis, ut id quoque hoc loco interferam, ex Anglia in Bohemiam delata, auctorque primus Joannes Wiclefus, homo sceleratus, qui hæreses suas ex Berengario, Waldensibus, aliisque damnatis scedisque superiorum temporum sectis collegerat, odioque cumprimis in clerum, & Magistratus sacros politicosque in Anglia disseminare cœperat, nunc has, nunc illas hæreses addendo; sed ex Pontificis jussu a Cantuariensi potissimum, & Eboracensi Archiepiscopis palam in synodis damnatæ, proscriptæ, itaque compressæ fuere, ut caput efferre non liceret. Hujus tamen libri postquam ab Hieronymo Pragenfi, aliisque qui in Angliam studiorum causa venerant, in Bohemiam deportati fuerunt, oblatique sunt Joanni Hussio Parocho in æde D. Matthiæ & Matthæi Pragæ, qui cum simulatione sanctitatis multos sibi in Bohemia devinxerat, virus illud Wiclefi Bohemico sermone populo propinavit, & qua erat eloquentia præstantior, quam doctrina totam urbem infecit, palam pro concione laudando Wiclefium, doctrinæ ejus veritatem supra omnia SS. Patrum scripta, & Concilia extollendo; auditusque aliquando dicere, non alio se post mortem optare in loco esse, quam ubi anima Wiclefi sit, viri sancti, cæloque dignissimi. Inde ingens excitatum desiderium inter studiosos & Clericos, legendi Wiclefi libros; sequebanturque Hussium Clerici fere omnes ære alieno gravati, flagitiis infames, & ad seditionem proni; qui postquam lautiora sacerdotia assequi non poterant, prorupere maledictis in Præsules, calumniis in Catholicos, concitatione in populum. Hos inter Hussio se adjunxit Hieronymus Pragenfis artium liberalium Magister, doctrina etiam, quam in Anglia imbiberat, Hussio præstantior, homo furiosus, & fax totius hæresis, qui etsi nullis sacris ordinibus esset initiatus, sacerdotalibus tamen vestibus indutus sacerdotis munia obibat, & docendo, peragrandoque Bohemiam, Poloniam, Moraviam, callidis artibus, & persuasionebus incautos in hanc novam sectam pertrahebat.

Jam vero quia Hussius cum Hieronymo Pragenfi ipsam Wiclefi iniquam doctrinam disseminando profitebatur,

Sobinko Pragenfis Archiepiscopus vir religione egregius, convocata præfulum & Sacerdotum synodo, quadraginta quinque Wiclefi hæreses damnavit; sicuti hæc postea etiam a Patribus Concilii Constantiensis condemnatæ sunt, quamquam Gobelinus noster supra cæcxl Wiclefi hæreses in Concilium productas referat. Per id tempus simul Archiepiscopus omnes Wiclefi libros, quorum supra ducenta volumina, pleraque aureis & argenteis involucris intracta erant, ad se deferri, & publice concremari jussit. Inde Hussio, ne virus latius spargeret, publicum docendi munus interdicat; is tamen licet Praga ejectus, in vicina urbis Parochia ex qua oriundus erat, non destitit patrocinante loci domino, & Wenceslao Rege dissimulante, hæreses suas libere docere, & calumniis debacchari in Ecclesiarum præfules. Ad Wiclefi hæreses addidit Hussius suas adjuvante Hieronymo Pragenfi, sicuti earum supra triginta post in Concilio Constantiensi doctissimorum Patrum sententia palam damnatæ fuere.

Juvat nunc Hussitarum hæreses, quas Hussius ex Wiclefi libris conflavit, & a Cochlæo, Nauclero, Gobelino nostro, aliisque proferuntur, hic aliquas proferre in medium, ut ex his pestifera femina recognoscantur, ex quibus postea Lutheri, Calvini, aliorumque nostro sæculo hæreses enatæ sunt. Dogmata proinde Hussitarum erant: Ecclesiam solum prædestinatis constare: Pontificem Romanum cæteris Episcopis parem esse: abolendum omnem Ecclesiæ primatum & Hierarchiam: inter Sacerdotes nullum esse discrimen, presbyterum non dignitate, sed vitæ merito potiorem censendum; eum, qui mortiferi peccati reus sit, neque Ecclesiastico, neque sæculari magistratu defungi posse, quare nec iis parendum esse; similiter Episcopum & sacerdotem peccato mortifero obnoxium, nec ordines veros impertiri, nec consecrare, nec ullum Sacramentum ne baptisma quidem conficere: Munus docendi cuilibet a Deo esse permissum: animas corpore exutas aut in perpetuos ignes, aut cælum migrare; proinde nullum purgatorii locum relinqui, vanum esse pro mortuis aut sacrificia, & preces, aut alia offerre; quod ea Sacerdotum avaritiæ explendæ causa excogitata

Dogmata
hæresis Hussi-
tica.

Z z

tata

Inicis Hæ-
resis Hussi-
tica.

tata sint. Parem esse in cultu Sanctorum & imaginum vanitatem, eoque imagines omnes e templis eliminandas. Et quantum non vulnus omnibus Sacramentis intulere? dogma enim præterea erat in Sacramento Eucharistiæ post consecrationem manere substantiam panis & vini, neque in ea vere præfens esse Christi corpus, quorum altero Luheri hæresi, altero Calvini ostium cum Berengario aperuit. Nulum esse fundamentum in scriptura, quo sacrificium Missæ asseratur: confessionem peccatorum non nisi per nugacem doctrinam obrudi, satis ad illa expianda esse dolorem, & confessionem in cubili factam: Confirmationem, extremamque unctionem e numero Sacramentorum, & usu Christianorum excludendam, nullam sacri olei permitendam unctionem vel in sacramentis, vel in aliis sacris ritibus. Ceteras deinde cæremonias in consecrandis vestibus sacerdotalibus, in altaribus, benedicenda aqua, palmis, cereis, aut Deo consecratis hominibus superstitione plenas esse. Ordines ipsos religiosorum hominum cum primis Mendicantium Diaboli esse commenta, & qui illos primum instituerunt, impios fuisse, & a dæmone delusos; proinde Cænobia omnia extinguenda esse, nec inter christianos censeri debere, quotquot in iis vitam Deo consecrent, quod inutiles reddantur ad mandatorum divinorum observationem, neque iis ullam largitionem faciendam, aut possessiones permitendas; quod Monachis non minus, quam sacerdotibus labore manuum vivendum sit. Similiter Academiæ, Collegia, gradus Doctorum, & Professorum ex gentilibus ritibus a Diabolo esse introducta: Excommunicationes, censuras Ecclesiæ, indulgentias inter ludibria habendas; quod quæstus causa repertæ sint. Nihil meriti esse in jejuniis: frustra teri tempus horis Canonicis legendis: ceteros festos dies præter diem Dominicum proscribendos; Constantinum M. Sylvestrum Pontificem, ceterosque Reges & Principes, qui Ecclesias dotarunt tot bonis & possessionibus, a Diabolo seductos esse, D. Petrum Apostolum nunquam fuisse caput Ecclesiæ, eoque nec Pontifices esse vicarios Christi; imo Pontifices cum Episcopis & religiosis omnibus ad inferos cum hæreticis detruden-

dos esse, nec aliam esse in Pontifice & Episcopis potestatem, quam quæ a Cæsare cum illis communicata sit. Quidquid demum agant homines omnia de necessitate absoluta evenire; eo quod nulla liberi arbitrii facultas homini relicta sit; & quæ huiusmodi multæ nefandæ, & execrabiles hæreses ex Wiclefi & Hussii secta producuntur a scriptoribus, ut horum impia doctrina non aliter censeri debeat, quam ovum, ex quo postea Lutheri & Calvini hæresis exclusa sit; atque ut illi duo Hæresiarchæ Wiclefus & Hussius nulla in re magis furiosi fuere, quam in Apostolica sede, & Hierarchia Ecclesiæ convellenda: ita omnium Hæresiarcharum nostri sæculi, omniumque hæreticorum non alius primum labor, & insanus furor fuit, quam in Romano Pontifice, Episcopis, & Monachis oppugnandis, quo orbi & posteritati constaret, uno omnes hæresis spiritu cum priscis hæreticis agitato fuisse. Verum qui omnium priscorum hæreticorum vertiginis spiritus fuit, hæresin suam in alias atque alias sectas dividere, & in nulla certa consistere; ad hunc modum Hussitæ se dividere in tres principes sectas, quarum prima Pragensium, secunda Orphanorum, tertia Thaboritarum fuit, primi tolerabiles, postremi pessimi; omnes tamen hi Evangelicorum nomen, sibi ausi sunt sumere; ac quantumvis inter se sectis diversi, alteraque secta alteram, ut schismaticam & hæreticam infectaretur; ubi tamen a Catholicis oppugnari ceptæ, in unam hæresin, armorumque concordiam rediere.

Accessit postremum Petrus Dresdenensis novæ hæresis auctor, patria Misnienensis, in qua primum apud suos, deinde Chemnicenses, & Zwiccavienses, uti Fabricius refert, scholas rexit. Is patria pulsus, Pragæ asyllum hæreticorum repetiit, & Jacobellum Misniensem in æde S. Michaelis concionatorem adiit, mirari se, inquit, doctos viros nondum errorem Eucharistiæ sub una specie hætenus præbire advertisse, qui tam clare ex Evangelio S. Joannis revinci possit. His peremptus coepit palam in æde D. Martini populum concitare, persuadereque, nemini salutem & celestem vitam promissam esse, nisi & in calice sub altera specie

Wilhelm
Ep. Pad.
cives Pad.
alioque r
belles apu
sumuntur
Pontifices
accusat.

specie Eucharistiam perciperet. Ea nova doctrina cum tanto mox plausu ab omnibus Hulfitis est excepta, ut per omnia templa suorum conventuum communionem sub utraque instituerent, quam & post cenam passim, non jejunis, neque ulla confessione expiatis vesperi vili sunt dare, & per plateas triumphi in modum ab una Ecclesia in aliam deferre; fuereque multi sacerdotes eorum, qui Missam & novam illam cenam sine altari & indumentis sacris celebrarent. Hunc in modum Pragæ & per Bohemiam omnia sacra profanaque miscebantur, hæresi impune ob desidiâ Wenceslai Regis debacchante. Pragensis Archiepiscopus, ubi nullum a Wenceslao Rege subsidium remediumque impetrare potuit, ad Sigismundum fratrem Regis appellat. Verum cum & ille publicis implicatus tardaret, moritur interea Archiepiscopus, cui Albicus Regis medicus successor datus, extrema, ut Nauclerus ait, barathrum avaritiæ. Inde Hulfitarum hæresis multo liberius per urbem & regnum grassari visa est.

His tandem malis ut occurreret Sigismundus Cæsar, quod ea pro singulari prudentia & religione altius complecteretur tum animo quam cæteri per Germaniam Principes, maturandum hoc anno censuit Concilium Constantiense, quo communi ope & manu incendium hæresis extingueretur. Multumque simul his publicis Reipublicæ curis distinguebatur, quo minus cætera per Imperium Principum dissidia turbasque componeret.

Hic conturbatus rerum status, quo parum subsidii a Sigismundo Cæsare exspectari poterat, audaciores quoque fecit Paderbornenses cives, & factiosos Canonicos; nihilque veriti Wilhelmum Episcopum suum, Comiti Lippiensi tradidere imperium armorum suorum, ejusque præsidio insultare Principi suo, turbare omnia jura sacra profanaque in urbe, diocesin novo bello implicare. Wilhelmus antistes, qui hætenus contra potentiores hostes armis triumpharat, etsi nec Comitem, nec urbem Paderbornensem formidaret, atque armis etiam suis, auxiliisque vicinorum Principum, ac Comi-

tum facile urbem subigere se posse ediceret; maluit tamen via cepta juris & compositionis progredi. Quapropter omnem controversiam cum civibus ad Sedem Apostolicam, & tribunal Joannis xxiii Pontificis detulit. Missus in hanc rem Procurator Romam cum hujusmodi libello supplice, quem hic uti ex tabulario Ravensbergenfi accepimus, juvabit referre.

Beatissime Pater, exponitur B. V. pro parte devotæ creaturæ VC. Wilhelmi nati quondam Ducis de moue, electi Paderbornensis, & Nepotis divæ memoriæ quondam Domini Ruperti Romanorum Regis, & dicitur quod Consules, Proconsul, & cives Paderbornenses, postquam sibi de Ecclesia Paderbornensi per Sedem Apostolicam provisum extitit, eidem electo fidelitatis & Homagii, quemadmodum suis prædecessoribus fuit consuetum, præstiterunt juramentum, nonnulli tamen, Consul, & cives Paderbornenses, nescitur quo spiritu ducti, in reprobum sensum dati, post hujusmodi præstitum juramentum tam contra libertatem Ecclesiasticam, quam etiam contra statum dicti Domini Electi multipliciter machinantes, certum ediderunt seu fecerunt edictum, videlicet quod exequiæ defunctorum non debeant in dicta civitate Paderbornensi de cætero peragi nisi tantum diebus dominicis nec campanæ pro exequiis hujusmodi peragendis nisi diebus Sabbathinis pulsari, per quæ oblationes & offertoria Clero detrahuntur, & divinus cultus non mediocriter una cum devotionibus Christi fidelium innovatur. Insuper ipsi cives contra prohibitionem Apostolicam die Jovis sancta promuntiari, & singulis annis renovari consuetam, qua extantur novas gabellas, seu dacias imponentes quandam novam gabellam sive datiam in præjudicium Ecclesiasticæ libertatis circa venditionem potus illius communis patriæ cerevisiæ nuncupatæ, nec non etiam alias res vendibiles videlicet frumenta & blada imponere præsumperunt, ipsi causam interea statuerunt, quod nullus sive clericus sive laicus in civitate prædicta moram trahens forensi extra civitatem hujusmodi res vendibiles vendere debeant, nisi solum incolis ad effectum, ut præsent, quod ipsi cives hujusmodi res, quas venditiones pro earum usu forensibus melius vendere possent, pro suo libito, & ad eorum

Z z 2

rum

Wilhelmus
Ep. Pad.
cives Pad.
aliosque re-
belles apud
summum
Pontificem
accusat.

rum beneplacitum pro majori pretio valeant extorquere. Item portas communitatis Ecclesie Paderbornensis pro libertate consueta conservanda & reliquarum Ecclesiarum, & personarum Ecclesiasticarum in immunitate, consistorii securitate singulis noctibus claudi solitas viruperunt, & aperuerunt, mandantes, quod hujusmodi porte de cetero claudi non debent, immunitatem hujusmodi temere violando, nec non transitum dictarum portarum in usum Laicorum, & in stratam publicam redigendo. Ceterum de agris arabilibus in campis fructiferis ad mensam Episcopi spectantibus temeritate propria fossata pro fortificatione civitatis ad effectum ut presumitur, quod cum majori temeritate eorum Episcopo & Domino resistere, & sibi injuriari possent ad suae libitum voluntatis. Item ipsi cives, Consules & Proconsules contra juramentum fidelitatis predicto Domino Electo, ut praefatum praestitum tamen venientes cum certis Canonicis Ecclesie Paderbornensis praesertim cum Ottone Spiegel, Henrico Westphael, & Hilbrando de Usler in civitate Paderbornensi domicilia habentibus, & eis ut creditur non amore, sed timore in praemissis adhaerentibus, nec non certis dicti Domini Episcopi subditis, & praesertim cum nobili Domino Domicello de Lippia, nec non certis aliis eorum in hac parte complicibus contra dictum Dominum electum ligam & conspirationem inierunt publice sine causa rationabili conspirantes & sibi multipliciter injuriantes. Item ut ipsorum malum propositum possent continuare, & in hujusmodi rebellione & pertinacia perdurare, coram quocunque iudice ordinario vel delegato extra civitatem Padeburnensem deputato stare juri, & coram eis de jure respondere, recusant. Item a septem annis citra Decano Padeburnensi injuriantes in juribus ad decanatum spectantibus ausu sacrilego violenter spoliaverunt, & in quendam ipsius Ecclesie Canonicum pro defensione dictorum jurium se opponentium manus violentas injecerunt, & certos alios Canonicos ipsius Ecclesie in hujusmodi defensione contravenientes etiam armis offensibilibus in fugam converterunt. Et his non contenti, sed mala malis continue cumulantes, dum idem Dominus Electus vocatis nonnullis praelatis, & aliquibus dictae Ecclesie Canonicis Monasterium SS. Petri & Pauli

Padeburn. ac ejus Abbatem & Monachos nunc minime exemptos, sed sibi immediate subjectos visitare vellet, prout ex debito pastoralis officii poterat & debebat, nonnulli ex civibus & Consulibus hujusmodi ipsis Abbati & Monachis faventes praefatum Dominum electum in exercitio visitationis hujusmodi adeo impediverunt, & fecerunt, quod eadem visitatione non sortita effectum, Abbas & Monachi pro eorum excessibus non correcti in eorum obstinatione & pertinacia remanserunt, & sub colore ejusdem praetense appellationis se a praemissis extraxerunt, Beatissime Pater diversas alias injurias & molestias ipsi cives dicto Domino Electo, & Clero conjunctim & divisim diversis vicibus intulerunt, & quotidie hora captata inferre non formidant, quibus idem Dominus Electus assistentia Regum, Ducum, Comitum, Baronum, aliorumque nobilium, & suorum consanguineorum posset resistere manu forti, & tam ipsos cives, quam ipsam civitatem ad notabilem, & detestabilem desolationem perducere, sed attento, quod Ecclesia Cathedralis, & certa alia loca Ecclesiastica, & religiosa sunt in ipsa civitate situata, invitum vellet esse occasio tanti mali, unde tam Ecclesia, quam hujusmodi loca, quia totus clerus ibidem ruinam quodammodo irrecuperabilem paterentur. Quare idem Electus cupiens in praemissis potius via juridica incedere, quam potentia laicali, recurrit ad pedes V. B. pro remedio opportuno humiliter supplicando, quatenus alicui ex Reverendissimis in Christo Patribus & Dominis sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus committere dignemini, & mandare, qui se de praemissis summarie, simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura iudicii informet, & singulos superius nominatos, cum ceteris rebellibus in poenas & censuras Ecclesiasticas a jure, vel ab homine inflictas incidisse declaret. Et quae hujusmodi multas expertuntur, additis etiam, accusatisque quibusdam ex presbyteris, & Clericis Paderbornensibus, qui in eandem conspirationem venerant. His Episcopi querelis acceptis Joannes Pontifex, causae cognitionem, iudicationemque commisit Francisco Cardinali Venetiarum Iudici. Et ille expensis accusationum momentis, Paderbornenses Romam ad dicendam causam citat, literis in diocesim transmissis, & publice Hervordiae, ac Bilfeldiae intra

Gobelinus
Chron.
Colon.
Gelonius
Sacramento
Merjens
Chron.
Belgii.
Coloniae
Archiepiscopi
focii eliguntur
Theodoricus
Morus,
Wilhelmus
Montenap
Episcopus
Paderb.

et non
et non

era dicecesin Paderbornensem promulgatis; sicuti hæc Cardinalis auctoritate Pontificis anno a nativitate Domini 1413, Indictione sexta, die mensis Maji duodecima, a se acta testatur.

Annus Christi 1414.

Joannis XXIII. Pont. 5. Sigismundi Imp. 5.

Wilhelmi Ep. Pad. 14.

Gobelinus
Chron.
Colon.
Gronovius in
Sacratio.
Merjens
Chron. M.
Belgii.
Colonie a
Archiepi-
scopi eli-
gantur
Theodoricus
Morsanus,
&
Wilhelmus
Montensis,
Episcopus
Paderb.

moti 2011 A
et collig
antidob

Succedit annus decimus quartus, supra millesimum, quadringentesimum, qui cepto Concilio Constantiensi non modo Reipublicæ Christianæ, sed & Ecclesiæ Paderbornensi magnam mutationem attulit obitu Friderici Sawerdani Colonienfis Archiepiscopi, viri, qui inter varios bellorum casus, turbasque Westphaliæ, magnis animis in quadragessimum annum administrarat Archiepiscopatum, is postquam viii Idus Aprilis excesserat e vita, haud leve inter Canonicos dissidium est exortum ob duos Candidatos Archiepiscopatum prestantes, Wilhelmum videlicet Paderbornensem Episcopum nostrum, & Theodoricum Morsanum Bonnensem Præpositum. Sollicitabat pro Wilhelmo, Adolphus frater Dux Montium & Comes Ravensbergensis, Reinaldus Dux Juliar, & Gelnar, alique Principes, quos ex Palatina familia sibi consanguineos habebat; accedebat nobilitas, quæ Wilhelmum expetebat. Quare plerique ex Canonicis suffragia illi addixisse ferebantur. Theodoricum Morsanum commendabat grata avunculi memoria; quippe qui ex sorore Friderici Archiepiscopi natus erat, eoque plures sibi ex Canonicis adjunxerat. Igitur Canonicis in partes distractis, alii Bonnam commigrarunt, alii in urbe remansere; a quibus cum Wilhelmus Episcopus noster deligeretur, ii qui Bonnar erant offensi, 8 Kalend. Maji elegerunt Theodoricum Morsanum; auctorque est Gobelinus, ex his magnam partem corruptos fuisse muneribus. Id quoque & in aula Pontificis factum fuisse scribit Gobelinus & Theodoricus a Niem, ex eaque pecunia, inquit; Pontificem apparatus fecisse, accedendi ad Concilium; id quod facile illi fuit; eo quod post excessum Friderici Archiepiscopi maximam partem thesauri a Theodorico relictam ad se traxerit, ex quo largitiones illas fecerit. Accessit haud multo post Sigismundi Regis, & Joannis Moguntini Archiepiscopi commendatio apud Joannem Pontificem pro

Theodorico sollicitantium, qua Pontifex permotus Theodoricum dixit Archiepiscopum. Jam & Canonici eo proniores accessere ad Theodorici partes, quod is pleraque Oppida & castra post excessum Friderici Archiepiscopi occupasset, ex quibus vim & arma intentabat. Contra Wilhelmus Episcopus noster, non modo ad Sedem Apostolicam, atque ad unicum, verum, & indubitatum Pontificem Gregorium XII, sed & ad Generale Concilium, quod hoc anno Constantiæ ceptum erat, appellabat, criminique dabat, Theodorico Morsano, quod auro eligentium suffragia occuparat, & per arma intentata se obrutisset Episcopum. Hanc appellationem suam Wilhelmus palam Coloniar ad valvas Ecclesiæ præfigi iussit. Quemadmodum hæc Gobelinus noster retulit, qua in re dispares ex partium studio, duo celebres Paderbornenses nostri scriptores Gobelinus & Theodoricus Niemius, uterque clarus Romæ in curia. Quem enim Gregorium XII Gobelinus vocat verum & indubitatum Pontificem, hunc Niemius appellat errorium Pontificem, & quem Niemius vocat Joannem Pontificem, hunc Gobelinus Joannem Bonnoniensem scribit, nullo veri Pontificis titulo dignatus. Id Gobelini nostri iudicium probat Raynaldus in historia Ecclesiastica, ceterique meliores scriptores, a quibus Gregorius in factis, & censu legitimum Pontificum retinetur.

Acriter simul Wilhelmi fratris sui causam defensionemque suscepit Adolphus Dux Montium, Ravensbergensis Comes; missisque Romam cum magno splendore ad Gregorium XII Pontificem Legatis, Wilhelmi electionem adversus Theodoricum confirmari petiit, atque ut tum studia Pontificum sibi adversabantur in demerendis Germanorum Principum animis, facile patrocinium Gregorii Pontificis impetravit, multoque æquius res agebatur in aula Gre-

Turbante
Diocesis
Paderborn
ob reje-
ctum Wil-
helmum a
sede Coloe-
nensi.

Gregorii, quam Joannis Pontificis. Nam ut ex alio Joannis Pontificis decreto constat, aula illius Abbatis Abdinghovi-
 viani & Monachorum adversus Episcopum patrocini-
 um suscepit, censuris etiam Episcopum perstringendo; qui tamen dissolutam Cœnobii disciplinam, ut supra retulimus, instaurandam susceperat; adeo quia Romæ omnia ex schismate perturbata erant, multa etiam in Germania turbari necesse fuit. Interim dum hæc Romæ disceptantur, inter utrumque electum Archiepiscopum, domi armis pugnatur, aliis per diœcesin Coloniensem pro Theodorico, aliis pro Wilhelmo Episcopo nostro arma suscipientibus, sed acerbior belli motus in ipsa Paderbornensi diœcesi. Nam postquam Roma a Joanne Pontifice literæ advenerunt, quibus Theodorico Morsano Archiepiscopatus deferebatur, idque Paderbornæ cognitum fuit, cives & factiosi Canonici palam in partes Theodorici transiere, sedereque cum Theodorico inito rebellionem adversus Wilhelmum Episcopum ceptavere. Constituerat Wilhelmus antequam Coloniam ad electionem iret, Vicarium Generalem in sacris, & judicem Ecclesiasticum; Duci deinde Bernardo Brunswicensi tradito castro Dringenbergico superioris diœcesis, & Bernardo de Horde ex castro novo inferioris diœcesis vicariam gubernationem commiserat; Lichtenoviam præterea; & Cleinenbergæ Fridericus Driburgensis, Steinheimio Reinerus de Lippia equestris ordinis vir impositus erat. Hos omnes Wilhelmi Ministros, Capitulum & cives Paderbornenses per absentiam antistitis exautoratos ejiciunt, totiusque diœcesis civilem administrationem detulere Bernardo Comiti Lippienti, quem jam ante tutorem diœcesis adlegerant, omniaque tanquam ex sede vacante suo sibi imperio vendicarunt Canonici; inde vallati a juramento Wilhelmi absoluti, ministeriales a fide abstracti, nobilium alii minis, alii promissis, in partem conspirationis traducti, Castrum Beverungenum ad Visurgim astu Dringenbergensium Oppidanorum interceptum, ex-turbato Brunswicensi Duce, utriusque præfectus suarum impositus. Hunc in modum cætera oppida ad rebellionem concitata; ardebatque diœcesis intestinis turbis, deprædationibus, & castrorum oppugnationibus calamitosius, quam

ab ullo extero hoste divexari posset, Pejora per hæc consilia agitata. De ipso Episcopo exautorando, & in locum ejus Theodorico Morsano subrogando. Tam ingrati & immemores omnium beneficiorum, quæ a Wilhelmo Episcopo acceperant. Reperio literas quibus Paderborna urbs. Præpositus, Decanus, & Capitulum Cathedrale. Bernardus nobilis de Lippia, Henricus Spiegel, ejus filius Joannes, & Joannes Westfal equites, Bernardus de Atcheburg, Joannes ejus filius, Albertus ab Haxthufen, Henricus Stapel, Oppidique Warburgum, & Brakelena, ipso die Julianæ Virginis fœdus contra Wilhelmum Episcopum suum iniere. Contra, pro Wilhelmo Episcopo tuendo fœdus pepere, Wilhelmus nobilis de Buren, Hermannus ab Horde, alique e nobilitate viri, id quod festo Matthiæ juratum.

Observavit Gobelinus, quo die ex allato cognitoque decreto Joannis Pontificis Paderbornenses se Theodorico Morsano per fœdus junxere, conspirando adversus antistitem suum, altera nocte, quæ in ultimum Augusti diem ibat, Paderbornam horribil tempestate concussam, interque continua tonitrua, incidens in turrim validissimo impetu fulmen duos grandes Basilicæ lapides ex angulis oppositos dejecisse ac in minuta frustra comminuisse, tanto fragore, quo sonitus campanarum abruptus, & qui pulsando funes trahebant, in terram prostrati sint; haud dissimilem tempestatem, fulminumque horrifonos jactus observant ad Theodorici Morsani ingressum in urbem Paderbornensem, & ad postremum diem, quo e vita exiit; tanquam ad fatales civilium seditionum turbines & bellorum tempestates natus expeditusque fuerit Episcopus, quæ temporis memorabuntur.

Fine dehinc anni Sigismundus Rex, una cum Barbara conjugæ septus numero procerum comitatu ad Rhenum descendit, ac IV Novembris die Aquigranum ingressus ad augustulem coronam ritu majorum accipiendam; quod eo potissimum consilio a Rege maturatum, ut majori auctoritate ac splendore Concilio Constantiensi interesse posset. Deduxere Regem septem Episcopi, Principes octo, decem ac centum Comites

Atror-
 pectas Pa-
 derbornæ.

Petrus a
 Beka in A-
 quis c. 7.
 Gobel. anat.
 6. c. 94.
 Chr. Colon.
 Pontan. l. 4.
 Geidr.
 Chron. M.
 Belgii.
 Raynald.
 in hist. Eccl.
 Ecclesiast.

Sigismundus Augustus gratia con-
 matur.

Alia & h.
 Concilio.
 Nantler.
 Aeneas Sy-
 rius.
 Gobelius.
 Raynald.
 hist. Eccl.
 Acta Con-
 cilio Con-
 stantien-
 sium.

Sigismundus Aquisgrani coronatur.

mites, sexcenti amplius equestres viri, sex millia selectorum militum; interque sacrorum præfules adfuerunt Wernerus Trevirensis & Theodoricus Colonienfis Archiepiscopi, Gregorius Patavienfis, Joannes Herbipolenfis, Rabanus Spirensis, Joannes electus Leodiensis Episcopi. Multi præterea Principes, Rudolphus Dux Saxonie, Carolus Lotharingæ Dux, Reinaldus Juliacenfis & Geldrie Dux, Fridericus Burgravius Norimbergenfis, Adolphus Clivie, Guntherus Schwartzenburgi, Adolphus Nassovie, Emicho Leiningæ, Joannes Catzenelebochi, alique quam plures Comites, in quorum corona, Sigismundo die VIII Novembris Theodoricus Colonienfis Archiepiscopus, solemnibus caremoniis Imperiale diadema imposuit. Tradit Gobelinus noster, Theodoricum Coloniensem Archiepiscopum, cum hæc perageret, nondum Episcopum consecratum fuisse, verum cum auctor Chronici Belgii scribat Theodoricum in ea celebritate primum Missæ sacrificium obtulisse, constat sacerdotio nimirum initiatum fuisse.

Sigismundus Aquisgrano Coloniam digressus magnificentissime a Clero populoque XVI Calend. Decembris excipitur. Perstitit ea in urbe per octiduum jura publice dicendo, iura imperialia elargiendo controversias decidendo; multumque laboravit, ut Wilhelmum Episcopum nostrum cum Theodorico Colonienfi Archiepiscopo componeret; sed ea causa jam ad Pontificis tribunal delata erat. Cæsar V. Calend. Decembris Colonia discedens, Constantiam ad Concilium properavit.

Annus Christi 1415.

Sigismundi Cæsar. 6. Wilhelmi Ep. Pad. 15.

Ad Pontificis ac Cæsaris præsentiam accessere sub exordia novi anni Ludovicus Comes Palatinus & Dux Bavarie, Ludovicus Dux Silesie, quos ingens exinde Principum, Episcoporum, Abbatum, Præfulum & Oratorum, quos Reges & Principes miserant, multitudo secuta est. Cochlaus Patriarchas quatuor, Cardinales XXIX, Archiepiscopos XLVII, Episcopos CLX. Concilio interfuisse scribit; alii ducentorum quinquaginta Episcoporum numerum censent, quorum alii post alios accessere.

Inchoatum per hæc erat Concilium Constantiense, ad quod Wilhelmus antistes provocaverat. Mense Augusto primus Constantiam accessit ad muniendam Concilio viam Jordanus Cardinalis Ostiensis. Deinde Joannes Pontifex, cum maximo Cardinalium & Præfulum comitatu per Veronensem & Tridentinum agrum transmissis Alpibus secutus, in pervigilio Simonis & Judæ Constantiam accessit, eoque die in vicino Cænobio pernoctavit, ex quo mane a Clero totius urbis, & effusa obviam civium multitudine honorificentissime in urbem, & Episcopi palatium est introductus, multisque honorariis muneribus a Magistratu donatus. Monitus quidem a quibusdam, ne ipse ad Concilium accederet, fore enim, ut qui Pontifex accederet, privatus rediret. His ille spretis, fatisque suis actus, Dominica ante festum D. Martini convocando, qui præsentés erant, Patriarchas, Archiepiscopos, Cardinales, & Episcopos, Concilii initium fecit.

Accessit subinde Sigismundus in pervigilio Nativitatis Christi secundo Rheno Uberlinga delatus, & magno Principum & procerum comitatu cinctus, Pontificique adventum suum denunciando, petiit ut sacrificium Missæ, quod nocte Natalis Christi apparabat Pontifex, ad suum accessum deferret; quod fecit, ut Pontifex præsenté Cæsare Missam decantaret; in qua Sigismundus Diaconi habitu indutus Evangelium, cujus exordium, *Exiit edictum a Cæsare Augusto*, ipse cantu pronuntiavit, Pontifice deinde cætera duo sacrificia cantante, solemnique ritu peragente.

Acta & hist. Concilii Constantiensi. Naucler. Generat. 48. Eneas Syl. vius. Trithem. in Chron. Initium Concilii Constantiensis.

Acta & hist. Concilii. Naucler. Eneas Syl. vius. Gobel. in hist. Erelef. Acta Concilii Constantiensis.

Petrus a Beka in Aquisgr. 6. 7. Gobel. stat. 6. c. 94. Chron. Colon. Pontan. l. 4. Geldr. Chron. M. Belgii. Raynald. in hist. Ecclesiast.

potissimum deberetur, aut quis reliquis preferendus esset; id enim implicatissimum intelligebant negotium, quod vix exitum esset habiturum. Quapropter Patres in unum convertere curas, ut tres illi Pontifices Gregorius XII. Joannes XXIII. & Benedictus XIII., quisque jure suo decederet, aliusque verus Pontifex, de quo nulla dubitatio esse posset, deligeretur. Ac licet Joannes Pontifex synodum congregasset, seque Pontificatu cessurum promississet, si idem facerent Gregorius & Benedictus, mutato tamen consilio, 20 die Martii clam Constantia discessit, conscensaque navi, ad oppidum Schaffhusium pervenit, ubi Friderici Misniae Ducis, ut convenerat, patrocinio receptus est. Indigne id tulit Caesar cum Concilii Patribus, eoque Austriam minis, armisque aggressus Pontificem Concilio reddi imperat. Quo comperto, Pontifex sub exitum Quadragesimae Schaffhusio, Loffenbergam, atque inde Friburgum profugit. Dux Austriae post haec Caesari & Concilio reconciliatus Joannem Pontificem reduxit. Captus mox Pontifex, & in Insula S. Marci prope Constantiam abreptus in custodiam, multisque criminibus accusatus, publica Concilii sententia a Pontificatus munere remotus. Moderate haec tulit Pontifex, ac se ipsum postea comprobata Concilii sententia, Pontificatu abdicavit. Inde Ludovico Comiti Palatino Bavariae Duci traditus, a quo Manhemii reclusus triennium intra claustrum parietes latuit.

Advenit interea Gregorii XII Legatus in Concilium, cujus Princeps Carolus Malatesta Provinciae Romaniolae gubernator; per hunc Pontifex, decreta se Concilii probare, ultroque pacis causa se Pontificatu abire denunciavit. Quae laetis Sigismundi aliorumque animis accepta, quod jam unus Benedictus XIII. in Hispania delitescens Pontifex expugnandus restaret.

Damnati
Joannes
Hus &
Hieronymus Prae-
genis.

Per id tempus Wenceslaus Rex sollicitatus a Concilii Patribus misit Joannem Hus Constantiam, publica Sigismundi fide impetrata, commissaque est ejus causa doctissimis viris examinanda. Quod cum ille animadverteret, metu percussus fugam tentavit, conscensoque rusticano curru, in quo stramine lectus latebat, e porta penetravit. Re detecta,

Magistratus hominem e fuga retraxit, magnoque populi concursu produxit in forum; & cum denuo e media turba latibulum quaereret, raptus est in custodiam, Cœnobioque P. P. Prædicatorum inclusus. Is deinde productus in Concilium, atque, ut convictus erat, iustus est quadraginta Wiclefi & triginta suae haeresis capita abjurare; id cum pertinax detrectaret, condemnatus Patrum judicio, honoreque sacerdotii spoliatus, ferialibus flammis exurendus traditur.

Postulatus etiam a Concilio Hieronymus Pragensis Hussii socius, alter haeresis propugnator; & cum ille prius fidem publicam peteret, Concilium dedit, *salva tamen justitia*, quae synodi sunt verba. Ergo Constantiam profectus, primo quidem palam haereses abjuravit, & Catholicam fidem est professus; sed non multo post ad haereses relapsus, damnatusque a Concilio, eodem, quo Hussius, altero anno ignis supplicio est affectus; uti haec multis denarrant eorum temporum scriptores. Queruntur heterodoxi, Hussio & Hieronymo fidem ab Imperatore datam violasse Patres; sed immemores illi, Concilium esse supra Caesarem, ac Hussium profugiendo excidisse jure, & Caesaris privilegio; Hieronymus vero non nisi salva justitia admittus; quamvis ille aliquoties fugam tentarit, homo omnibus sceleribus cooperatus; qui cum Laicus esset, ausus tamen sacerdotali habitu indutus sacrilege administrare divina, & Bohemiam, Poloniam, Moraviam, & Germaniam peragrando Wiclefi haereses spargere, quas juvenis in Anglia hauserat.

Interea ceptae Paderbornensium turbæ, majori, quam ante, seditione prorumpunt, Capitulo cum civibus ad Joannem Pontificem, Wilhelmo antistite ad Concilium provocante. Ac licet Bernardus Comes Lippiensis, quem factionis suae ducem delegerant, ultimo die Januarii morte subtraheretur; nihilo tamen inde remissior civilis seditio; quod in ejus locum Capitulum, ac cives Paderbornenses delegerint sibi Theodoricum Morsanum Coloniensem Archiepiscopum, prius æmulum in Colonienfi Archiepiscopatu, modo tutorem & diœcesis Administratorem,

Joannes
Pont. Ep
scopatu
Paderbo
confer
Theodo
co Arch
piscopo
lonienfi.

torem, exauktorato Wilhelmo Episcopo suo. Hactenus Wilhelmus & Theodoricus æmuli pro Colonienſi Archiepiſcopatu, modo etiam pro Paderbornenſi. Et Theodoricus, ut Paderbornenſium factionem aleret, ſubmiſit e ducatu Weſtphaliæ auxilia militaria; eoque animoſius civium Paderbornenſium cauſam ſibi ſumpſit, quod miſſa a Capitulo Paderbornenſi, ad Joannem Pontificem legatione, Eccleſiam Paderbornenſem Adminiſtratoris titulo hiſce literis Friburgi ex fuga datis impetraſſet.

Joannes
Pont. Epi
ſcopatum
Paderborn,
conſert
Theodori
co Archie
piſcopo Co
lonienſi.

Joannes Episcopus, Servus servorum Dei, venerabili fratri Theodorico Archiepiscopo Colonienſi ſalutem. Romani Pontificis providentia circumſpecta univerſis orbis Eccleſiis, quæ vacationis incommoda deplorare noſcuntur, ut gubernatorum utilium fulſcantur præſidio, proſpicit diligenter, & venerabilibus fratribus noſtris Archiepiſcopis, Episcopis, & cæterarum Eccleſiarum Prælatiſ, ut expenſarum onera, quæ pro ipſorum ſtatu, juxta cujuſlibet dignitatem tenendo decentius, oportet aſſidue de neceſſitate ſubire facilius ſupportare valeant, libenter prout decet, & congruum eſt, de ſubventionis auxilio providet oportuno. Dudum ſiquidem Wilhelmo de Monte olim electo Paderburnenſi regimini Paderburn. Eccleſiæ præſidente nos cupientes eidem Eccleſiæ, cum vacaret per Apoſtolice ſedis providentiam, utilem & idoneam præſidere perſonam, provisionem ipſius Eccleſiæ ordinationi & diſpoſitioni noſtræ duximus ea vice ſpecialiter reſervandam, decernentes ex tunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper hiſ per quocunque quavis auctoritate ſcienter vel ignoſciter contingeret attemptari. Poſtmodum vero dicta Eccleſia ex eo vacante, quod Angelus Corario olim Gregorius XII in ſua obedientia nominatus, eundem Wilhelmuſ de ipſa Eccleſia Paderbornenſi ad Eccleſiam Colonienſem, tunc, ut dicebat, vacantem de factò tranſtulit, ipſumque eidem Eccleſiæ Colonien. præſecit in Archiepiſcopum, & paſtorem, ſimiliter de factò eodem Wilhelmo tranſlationem & præſectionem hujusmodi ratiſicante, & etiam approbante. Nos vacatione hujusmodi fide dignis reſpectibus intellecta, ad provisionem ipſius Eccleſiæ, de qua nullus præter nos hac vice ſe intronittere potuit, ſive poteſt, re-

ſervatione & decreto obſiſtentibus ſupra dictis, ne ipſa Eccleſia Paderburn. longæ vacationis exponeretur incommodis, paternis & ſollicitis ſtudiis poſt deliberationem, quam de præſciendo eidem Eccleſiæ Paderburn. perſonam utilem, & etiam fructuoſam intra nos habuimus diligentem, demum ad te conſideratis grandium virtutum meritis, quibus perſonam tuam, prout fide dignorum teſtimoniis accepimus, illarum largitor dominus multifariam inſignivit, & quod tu, qui Eccleſiæ Colonien. tuæ curæ commiſſæ hactenus laudabiliter præſuiſti, prout præſides de præſenti eidem Eccleſiæ Paderburn. eſſe poteris multipliciter fructuoſus, convertimus oculos noſtræ mentis. Intendentes igitur tam ipſi Eccleſiæ Paderburnenſi de adminiſtratione ſecundum cor noſtrum utili & idoneo, per quem circumſpecte regi & ſalubriter gubernari valeat, quod etiam tibi, ut hujusmodi expenſarum onera, quæ te jugiter ſubire oportet, ſupportare valeas, de alicujus ſubventionis auxilio providere, & præſata Eccleſiæ Paderbornenſi, quamdiu vitam duxeris in humanis, auctoritate Apoſtolica, in Adminiſtratorem præſcimus & paſtorem, curam, regimen, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ Paderburnenſis tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, liberamque tibi tribuendo licentiam, poſſeſſionem ejusdem Eccleſiæ Paderburnenſis capiendi. Ita quod liceat tibi hujusmodi adminiſtratione durante fructus, redditus, & proventus ejusdem Eccleſiæ libere percipere & habere, illoſque in tuos, ac ejusdem Eccleſiæ Paderburnenſis uſus, & utilitatem convertere, & alias de illis diſponere & ordinare, ſicut veri Episcopii Paderburnenſes, qui eidem Eccleſiæ Paderburnenſi pro tempore præſuerunt, de illis diſponere & ordinare potuerunt, ſeu etiam debuerunt, alienatione tamen quorumcunque bonorum immobilium, & pretioſorum mobilium ejusdem Eccleſiæ Paderburn. tibi penitus interdita, firma ſpe fiduciaque conceptis, quod dirigente Domino actus tuos, præſata Eccleſia Paderburn. per tuæ indiſtriæ, & circumſpectionis ſtudium fructuoſum vegetur utiliter, & proſpere aſſurgatur, grataque in eiſdem ſpiritualibus & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Quocirca fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus

A a

tenus

tenus in posterum tuis humeris onus cura, & administrationis ejusdem Ecclesie Paderbornensis prompta devotione suscipiens curam, & administrationem predictas, sic ex tunc studeas sollicite, fideliter, & prudenter, quod prefata Ecclesia Paderburn. gubernatori provido & fructuoso administrari gaudeat se commissam, tuque præter æternæ retributionis præmium nostram, & dictæ sedis benedictionem & gratiam exinde uberius consequi merearis. Datum Friburgi Constantiensis Diocesis Id. Aprilis, Pontificatus nostri anno quinto.

Ac quamvis haud multo post Joannes Pontifex a Concilio exauctoratus in custodiam abriperetur, Morsanus tamen ac factiosus, casta ejus auctoritate fulti, omnia armis persequerentur; auisque etiam inter hæc cives Paderbornenses noctu erumpere ex urbe, & castrum Neuhufanum, Episcopi sedem, armata manu aggredi, valla percurrere, & castrum expugnationem tentare. Id licet non succederet, Hordio fortiter audaciam civium repellente, ipsi tamen post xxvi Junii multo, quam ante, furiosius eruptione facta, castrum Neuhufani expugnationem aggressi; verum ut cæcus erat, civium more, impetus, cum clade repulsi sunt, cæsi octo civium occubuerunt, faucibus supra quadraginta; qua suorum jactura multati cum ignominia ad urbem redire, neque ultra hostium arma experiri animus fuit.

Ad hos flagrantes rebellionis motus comprimendos, ulciscendosque, Wilhelmus antistes regressus a Rheno, implorataque Adolphi fratris Montium Ducis, & cæterorum consanguineorum, fœderatorumque Principum ope, certus erat dicecesin armata manu mense Septembri intrare, urbemque Paderbornensem subigere. Verum cum Brunswicensis Dux Bernardus & Henricus, prætereaque Hassiæ Landgravius copias suas ex fœdere promissisque non adducerent, expeditionem intermisit. Hinc quantum ante fama adventantis exercitus consternati Paderbornenses, tantum rebellionis animos erexerunt. Quapropter missis ad Theodoricum Morsanum Legatis, in dicecesin invitant, progressique obviam Administratorem Paderbornensem, uti id

a Joanne Pontifice impetrasse diximus, recipiunt; quem deinde secundo Octobris die solemnè inaugurationis ritu plausuque in urbem introducunt, unaque cives cum Capitulo juramentum fidei dicunt; vicissim Theodoricus Morsanus juramento se Paderbornensi Ecclesie in has leges obligavit.

Theodoricus Morsanus solemnè in urbem & Dicecesin Paderbornensem admittitur, exauctorato Wilhelmo.

Redditus Episcopi Paderbornensis & Episcopalis mensæ non alienabo, sed integraliter conservabo, alienatos pro posse recuperabo, nec recuperatos alienabo. Item Præpositum, Decanum, & Capitulum, ac singulos de Capitulo & Ecclesiam Paderbornensem in jure suo, libertatibus & consuetudinibus licitis & honestis conservabo, & universa bona ad Capitulum & singulos Canonicos pertinentia sicuti mea conservabo & defensabo.

Item advocatiam Ecclesie non infensabo, nec alienabo, sed liberam Ecclesie conservabo, quam advocatiam Capitulum thesauro Ecclesie comparavit.

Item castra, munitiones & Oppida, & omnes possessiones Ecclesie mee Paderburn. non alienabo, sed integraliter conservabo, & alienata pro posse recuperabo. Omnia & singula supradicta ego Theodoricus Archiepiscopus Colon. Administrator & Pastor Ecclesie Paderbornensis libenter servabo, & Capitulum meo Paderbornensi servare promitto. Sic me Deus adjuvet & sancta Dei Evangelia. Datum sub sigillo meo secreto, Anno a Nativitate Domini millesimo quadringentesimo quinto decimo, crastino Beati Remigii Episcopi.

Indignum ingratumque facinus exauctorati Episcopi & Principis sui, quem Gregorii Pontificis & Ruperti consanguinei Cæsaris auctoritate confirmatum noverant quique tam fortiter in decimum quintum annum dicecesin suam propugnarat: nec alia hujus mali origo & causa, quam quod Monachos & Clerum reformandum susciperet. Ea nimirum erant corrupti sæculi tempora, ut nec vitia cleri correctionem ab Episcopo, nec civium insolentia emendationem ferret amplius a Principe suo.

Et Morsanus postquam abjecto Wilhelmi antistitis imperio plenam dicecesis administrationem adiit, castra & oppida superioris dicecesis in suam potestatem

Horrendum tempus Paderbornensis & Wilhelmi.

Alia & R. per. Can. Constant. aliique au. Hares sup. addit. Sigismundus di Imp. acta pro pace Ecclesie concilianda.

testatm redegit, postremumque etiam Bernardus Hördius castrum Neuhufanum sedem Episcopi, & cum eo inferiorem diocesim Mörfanum in manus tradidit; jamque toto principatu exclusus erat Wilhelmus, neque alius quam per arma & publicum Westphaliæ bellum reditus patebat. Non destitit interim Adolphus Montium Dux Wilhelmi frater Coloniensem diocesim Westphaliæque ducatum continuis incursionibus bellisque fatigare. At quo malo suo Paderbornenses Mörfanum pro Episcopo suo delegerint, calamitosa Mörfani hujus tempora enarranda docebunt. Nec prodigia denuo defuere, quæ hæc præmonerent. Nam quo tempore hæc rebellionis consilia agitabantur Paderbornæ inter factiosos, mense Julio rursus insolita & horribilis tempestas urbem Paderbornensem agrosque circumpositos concussit; turbine enim ventorum turris & Basilica templumque forense tectis suis nudata sunt, disjectæque tegulæ & trabes ad milliaris spatium per aëra: civium in urbe domus aliæ lacerata, aliæ funditus everse; nulla sine pernicie sua fuit. Grandine præterea, quæ alibi frustra glaciæ ad pedis longitudinem excussit, omnes circum fruges in agris obruitæ. Haud dissimilis tempestas altam templi turrim Warburgi

Horrenda tempestas Paderbornæ & Warburgi.

fulmine incendit, & disjecit, Oppidumque conspirationi obnoxium magnæ adium damnis affecit. Quæ etsi alii naturalibus elementorum causis adscripserint, non tamen defuere, qui cum Gobelino ad irati numinis indicia & fatalis hujus Administratoris præfagia retulerunt.

Per id tempus nova hæresis, quæ Flagellantium sectam resuscitare profitebatur, per Mithiam spargi cœpit, sedemque fixit in Oppido Sangerhufano, duce sibi delecto Conrado Fabro, homine plebeio & scelerato. Horum impia & nefanda doctrina erat, abrogatum jam esse a Deo sacerdotium Evangelicum; in Sacramento altaris nec verum corpus Christi, nec verum Deum esse: nullam esse peccatorum remissionem a Sacerdotibus factam, quæ sola flagellatione impetretur: vana esse, quæ de jejuniis, purgatorio, indulgentiis, cultu Sanctorum, & imaginum hæcenus credita sint: præter Natalem Christi & diem Dominicam nullos alios festos dies colendos; & quæ hujusmodi multa fanatici illi homines disseminabant. Quare instituta accusatione comprehensi, & in Oppido Sangerhufano in rogam conjecti sunt.

Nova Secta in Mithia exorta damnatur. Gobelio, at. 6. c. 93. Chron. M. Belgii.

Annus Christi 1416.

Sigismundi Cæsar. 7. Wilhelmi Ep. Pad. 16. & ultimus.
Theodoricus Mörf. 1.

Procedebat jam in tertium annum felici successu, magnaque omnium Episcoporum concordia, Concilium Constantiense; exauctoratisque Joanne & Gregorio Pontificibus, restabat ad pacem Ecclesiæ expugnandus Benedictus XIII in Hispania Pontifex. Is licet multum sollicitatus per Legatos a Concilio in Hispaniam missos, pertinacissime tamen persistabat in Pontificatu suo retinendo, favore Ferdinandi Aragonum Regis, & procerum quorundam Hispanorum innixus. Quare rogatu Concilii Sigismundus Imperator, apud quem tum summa auctoritas, iter in Hispaniam suscepit, legationeque simul ad ceteros Reges perfunctus, Franciam, Angliam & magnam totius Europæ partem peragravit ad Principes cum Ecclesia reconciliandos: a Patribus interim Constantiæ in Concilio gnaviter con-

stanterque per congressus sessionesque pertractata sunt ea, quæ ex bono Ecclesiæ poscebantur.

Tandem Sigismundus sine Autumni regressus ex Francia in Germaniam rediit, Leodiumque perlatus, Leodiensibus privilegia reddidit. Inde Aquisgranum digressus; ubi aliquamdiu moratus, lites & bella, quibus Theodoricus Colonienfis Archiepiscopus cum Adolpho Montium Duce, & Wilhelmo fratre ac ceteris fœderatis commissas erat, non sine magno labore diremit; atque inde, ut hæc auctor Chronici Belgii retulit, Constantiam ad Concilium profectus rediit.

Fecit hæc Sigismundi Cæsaris auctoritas, ut post ejus discessum ex integro se Theodoricus Mörfanus, & Wilhelmus

Ann. & his. Ser. Concil. Constant. Alique auctores supra adducti. Sigismundi Imp. acta pro pace Ecclesiæ concilii Constantiæ.

Wilhelmus
Ep. Pad.
sponte Epi-
scopatu
abit. &
sponsam
ducit Theo-
doricæ ne-
ptem.

mus antistes noster inter se compone-
rent, cederetque non modo Wilhelmus
de jure, quod electione obtendebat in
Archiepiscopatum Coloniensem, sed &
Paderbornensem Episcopatum; quem
Theodoricus Administratoris titulo a
Capitulo & Joanne Pontifice obtinuerat,
æmulo relinqueret. Quo enim se ver-
teret Wilhelmus in has necessitatis angu-
stias conjectus? qui Capituli & urbis
conspiratione, atque æmuli potentia
castris Oppidisque exutus, ejectusque
erat extra diocæsin, nec nisi per incerta
bellorum reditum sperare poterat. Cæ-
sarem præterea sibi habebat adversum,
ordines ab æmulo occupatos, Princi-
pes, qui magna polliciti erant, fluctuan-
tes, pendentesque a Sigismundi Cæsaris
auctoritate, pacem pro bello ubique ex
voluntate Principum sollicitantis. Sed
magnam hujus mali causam culpamque
sibi dederat Wilhelmus, quod Episco-
pus consecratus non esset, consecratio-
nemque in hunc annum distulerat, qui
illi extremus a Pontifice præfinitus erat,
alias aut in Episcopatu relinquendus,
aut hic in alium ordinis veneratione &
Apostolicæ Sedis provisu transferen-
dus; ita vero qui nondum sacerdos af-
fectabat Coloniensem, simul Paderbor-
nensi Episcopatu excidit. Igitur ad alia
consilia, quia nondum majoribus ordi-
nibus initiatus erat, se vertit, Theodo-
rici cum primis Colonienfis Archiepi-
scopi hortatu callidaque persuasione.
Is quia Wilhelmo sponsam Paderbor-
nensem Ecclesiam præripuerat, neptem
illi suam Alheidem, Nicolai Teclen-
burgensis Comitum filiam, natam ex fo-
rore sua elegantem puellam offert spon-
sam, multaque præter dotem sponder;
quibus captus Wilhelmus sponsam hanc
commutat cum sponsa Ecclesiæ suæ.
Nuptiæ XIX die Mensis Februarii Aren-
bergæ, præsentem & procurantem Archi-
episcopo celebrata. Ita amici intimi,
qui tam infesti hæctenus æmuli fuerant.
Hunc in modum biennio post Joannes
de Bavaria, postquam supra XX annos
Leodiensem Episcopatum gessisset, re-
nunciato Episcopatu, ex Pontificis di-
spensatione cum Antonii Limburgensis
Ducis filia matrimonium iit. Hæc

tum tempora, hi mores erant, sæculi
nimirum sensim in hæresis libertatem
inclinantis, quæ ex Episcopis fecit ma-
ritos. Wilhelmus exinde, ut Ertwinus
scribit, Comitatum Ravensbergensem
paternæ hæreditatis partem sortitus,
Ravensbergæ Paderbornensibus vicinæ
confedit.

Cæterum Wilhelmus connubio
quam Episcopatu felicior. Nam ex
Teclenburgica suscepit Gerhardum fi-
lium, qui Adolpho patruo post anno
1434 sine liberis extincto successit hæres,
præterque Montium Ducatum & Co-
mitatum Ravensbergensem, adiit Duca-
tum Juliacentem & Geldriam, tenuit-
que deinde per Wilhelmum filium; cui
quia unica tantum filia nata Maria hæres
fuit, ea Joanni III Clivenfi Duci denupta,
omnes provincias in Clivensem famili-
am transtulit.

Bellum præterea hoc anno ad Vi-
furgim fuit, quo Bernardus & Henricus,
Duces Brunsvicenses & Lunen-
burgenses, commissi cum Eberstenio
Comite, cujus castrum junctis popula-
rium armis adorti; id vero cum juri &
libertati Corbejensium derogaret, spo-
ndere publicis tabulis uterque Du-
cum cum Ottone & Wilhelmo filio The-
odorico Corbeiensium Abbati, & S.
Vito, se non modo Beverungam Oppi-
dum, castrumque Sulbecam, Leute-
ringam, Saltum Sollinganum, cetera-
que bona & jura relictuos intacta, sed
& patrocinium defensionemque Cor-
beiensium Huxariæque Oppidi adver-
sus Confanguineos Duces Brunsvicen-
ses suscepturos. Tabulæ hæc anno
Mccccxvi, 23 Julii post festum D. Mar-
garetæ, Virginis & Martyris diem con-
signata. Utrumque castrum expugna-
tum, Comitesque e veteri possessione,
depulsi sint ex annalibus incompertum
habeo. Superstes interim claraque fa-
milia Ebersteniorum Comicum ad no-
stram usque memoriam inspecta, mo-
do cum Hojanorum, Sternebergensi-
um, Swalenbergensium, Pirmontano-
rum, Oldenburgicorum Comitum ad
Vifurgim familiis extincta jacet.

Bellum &
deinde Pax
inter Duces
Brunsvi-
censes, Co-
mitem E-
bersteini-
um & Ab-
batem Cor-
bejensem.



ANNA-